

*C. 11, num. 9.*  
*20*  
*1730, 1a*  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE

FERIIS DIVINIS  
ET  
ILLARVM EFFECTIBVS,

*QVAM,*  
DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA,  
*SVB AVSPICIIIS*  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
*SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII, &c. &c.

*AVCTORITATE ET DECRETO*  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS,  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRGENSI

PRO LICENTIA


*SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES AC PRIVI-*  
*LEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI*

EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIÆ  
PROCERVM

EXAMINI PVBLICO  
AD DIEM XI. AVGVST. CIO 13 CCXXX.  
SVBMITTIT RESPONSVRS AVTOR

JACOBVS ADAMI,  
FRISIVS ORIENTALIS.

MARBV RGI CATTORVM,  
TVPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYP.



*Plato apud Theonem Smyrnceum*

Vita hominis sine feriis est longa  
via absque diverforio.



*SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,*

DOMINO  
**FRIDERICO,**  
HASSIÆ LANDGRAVIO,  
PRINCIPI HERSFELDIAE,  
COMITI CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIE-  
GENHAINÆ, NIDDÆ ET SCHAVMBVRGI.

RECTORI ILLVSTRIS HVIVS  
ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,

*PRINCIPI AC DOMINO LONGE  
CLEMENTISSIMO*

REVERENDISSIMO PATRI  
DOMINO DOMINICO

DOMINO

FRANCISCO

ASSISINENSIS

EPISCOPI

LEGATIONIS

APOSTOLICAE

SEDES

FRANCISCI

ASSISINENSIS

EPISCOPI

LEGATIONIS

APOSTOLICAE

SEDES

CLEMENS

SEDES

APOSTOLICAE

SEDES

APOSTOLICAE

SEDES

APOSTOLICAE

SEDES

APOSTOLICAE

SEDES

APOSTOLICAE



*SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME.*



Non esset excusanda temeritas,  
si levidensibus hisce foliis vene-  
rabile & sanctum nomen tuum  
præfigere auderem, nisi id sua-  
deret & veneratio summa, &  
admiratio regiarum tuarum vir-  
tutum, quibus te Deus ultra  
mortalium sortem evexit: hæ mihi novum quo-  
tidie indidere Calcar, ut illud, quod corde pre-  
mebam, publice per dedicationem hujus meæ  
dissertationis, quæ sunt meorum studiorum pri-  
mitiæ, tibi **SERENISSIME PRINCEPS**  
exponerem. Hanc autem venerationem tibi de-  
beri, non negabit ille, qui Illustrissimum tuum  
stemma, & præsertim virtutes & scientias tuas,  
X 3 qui-

❁ ( o ) ❁

quibus tu illud adhuc Augustius & Venerabilis reddis considerat. Deus in sacris dicitur ille, quem summus Deus, & cui soli nomen Jehovah competit, Majestate, autoritate, scientiis & sapientia ultra reliquos mortales extulit: & proinde Cyrus dicitur Deus Israelis, & Moses Deus Pharaonis; ut & apud profanos scriptores Augustus dicitur Deus Virgilli, & Lentulus Deus Ciceronis. Cui id nominis magis competeret quam TIBI, in quo illa copulata cernuntur, quæ separata Dei nomen alicui tribuunt: TIBI inquam, qui trino Divinitatis diademate Majestate, scientiis & sapientia præ reliquis mortalibus es condecoratus. Taceo nunc Serenissimæ & Illustrissimæ domus tuæ & antiquissimam & potentissimam profapientem: sed ad illud proferendum me potius obligatum sentio, quod meam tui admirationem excitavit, & hoc est, quod te sciam PRINCEPEM non solum PHILOSOPHUM, sed & PRINCEPEM GEOMETRAM. Quo autem quis major est Geometra, eo magis capax est, ad veritates in quacumque re & detegendas & eruendas, & proinde eo majori pollet scientia, & eo similior est summo Deo, qui omnes veritates Geometrica cum certitudine perspicit. Neque vero potest non talis



lis scientia, qualis in te est, cum sapientia esse con-  
 juncta. Tu qui abstractas & profundas veritates  
 meditari solitus es, summa cum certitudine per-  
 spicis, an & quantum unaquæque res ad felicita-  
 tem reipublicæ universalem conducatur, & secun-  
 dum hoc tuum profundum de rebus judicium illis  
 uteris ut mediis, ad hanc felicitatem publicam con-  
 sequendam. Hæc autem est vera in Principe Sa-  
 pientia, quæ unamquamque rem, & unumquem-  
 que reipublicæ statum ita coordinat, ut sine suo  
 totius reipublicæ felicitate potiatur. Sed & sa-  
 pientiæ magna pars absolvitur in electione talium  
 mediorum, quæ ad finem quam proxime & com-  
 modissime tendunt. Sed & in hac electione ne-  
 mo te est felicior, quia PRINCEPS GEOME-  
 TRA, a sua methodo minima determinandi uni-  
 versalia abstrahens, modum perspicit, quomodo  
 in unaquaque re & minima & commodissima de-  
 terminari queant. Inscius tantum nauta loxodro-  
 mize, sive per sinuosas Spiralis Logisticæ flexuras  
 currit, cum detur via brevior; ast Sapiens Princeps,  
 qualis tu es, semper & novit, & ad reipublicæ utili-  
 tatem promovendam eligit media & brevissima  
 & commodissima: proinde & hac in re Deo simi-  
 lis es, qui naturæ constantem legem dixit, ut id  
 quod

quod obtinendum est. obtineat & via brevissima & facillima, ut in reflexione & refractione luminis & aliorum corporum dudum a Geometris est observatum, Tu igitur es verae felicitatis stator & conservator, quia Tu duo illa generis humani palladia, virtutem & scientias dico, ut pretiosissima tua cimelia habes, ex quibus ut staminibus omne quod felix, quod faustum, & quod salutare est, textitur: & sine quibus ex societate hominum vel fit spelunca latronum, vel homines in ignorantia obbrutescunt. Supplex itaque te oro & veneror, ut & hanc meam dissertationem sereno & clementi vultu accipias, & hac in re Deum imiteris, quinec leviores oblationes adspernatur, modo devota & pura mente afferantur: & tu mihi eris meus Magnus Deus, & ego.

*SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME*

Tuus devotissimus Cultor  
*JACOBVS ADAMI.*





DISSERTATIO INAUGURALIS.

CAP. I.

DE

FERIIS DIVINIS ET IN SPECIE  
DE ILLARUM EFFECTIBUS.

§. I.



Tut de feriis divinis tractatio alia sit *Institut*  
Theologica, alia Juridica, alia Philo-*ratio.*

sophica, alia tandem Mathematica,  
materiam tamen pro dignitate per-  
tractaturus, ad omnia illa respectum  
ut habeat opus est. Quemadmo-  
dum enim nulla scientia quocunque

demum nomine veniat, modo scien-  
tificæ pertractetur, tam sterilis est, tam reliquis scientiis ex-  
tranea, quin his nonnihil luminis prabeat, & ad harum pe-  
netralia aditum applanet. Ita etiam hic cœcutit Juris Con-  
sultus, nisi ex Theologia ratiocinandi principia depromat,  
& talpa cœcior est Theologus nisi genuinæ Philosophiæ  
principiis fuerit instructus. Sed & Chronologica tracta-  
tio hac in materia est magni usus, utpote quæ tempus fe-  
riarum,

A

riarum,

riarum, quomodo secundum leges ecclesiasticas rite sit determinandum, edocet. Ego igitur ut rerum mearum satagam, primo sum expositurus Juridica & Theologica, jungendo illis Philosophica, ita tamen, ut iis, quæ a *Viro Clarissimo ac Celeberrimo Dn. WOLFFIO, Professore Almæ hujus Universitatis sui ordinis Primario, & Consiliario Aulico Cassellano &c.* in scriptis Philosophicis jam demonstrata sunt, utar tanquam principiis, ex quo mea sim deducturus; hinc est, quod quando, L. B. citationem in Philosophicis deprehendit, nullo autore addito, intelligi velim scripta Viri celeberrimi Wolffii, qui quicquid in Philosophicis docuit, demonstravit, & scientias decenti certitudinis & evidentia Majestate condecoravit. Sequor hac in re exempla Mathematicorum, qui ob excellentiam methodi ab omni ævo summis evecti laudibus eadem ex ratione sine autoris nomine suum citant Euclidem. Coronidis loco adjecturus sum, potiora momenta, quæ ad determinationem Paschatis Cyclici & Astronomici spectant.

*Hic modus, hæc nostro signabitur arca curru,*

*Hæc erit admissa metâ terenda rota.*

§. 2.

*Definitio  
feriarum  
in genere.*

Initium facio a definitione feriarum in genere, non ideo, quod hoc vulgo fieri soleat, sed quia in definitione latet ratio sufficiens attributorum. Sunt autem ferie nihil aliud quam tempora, quibus omnis actus contentiosæ Jurisdictionis, ubi absentia altera pars sibi nocere potest, cessat: hoc est quod ferie divinx & humanae commune habent, ut facile quisquis concedit, qui vel leviter studio Juris tinctus est; loquor hic tantummodo de contentiosæ Jurisdictionis actibus, non voluntariæ, quia hæc feriis humanis expediri possunt, quemadmodum traditur in *L. 2. ff. de*

*fe-*

*feriis*, & hæc est differentia specifica illarum feriarum a feriis divinis, feriis enim divinis voluntaria Jurisdictionis actus expediri non possunt, ut patet ex *cap. f. X. de feriis*, & per *L. II. C. eod.* Hinc, quia notio generis ea continet, quæ sunt speciebus communia *f. 237. Ontol.* patet definitionem recte sese habere.

§. 3.

Progredior ad definitionem feriarum divinarum in specie, ad hanc autem eo rectius perspiciendam, notandum est per cultum externum divinum hic intelligi solennitates sive ceremonias, quibus beneficia divina in homines collata in memoriam sunt revocanda; sunt igitur feriæ divinx nihil aliud, quam tempora, quibus ob cultum externum divinum ab omnibus actibus judicialibus, & illis, quæ cultui divino impedimento esse possunt est abstinendum: hæc definitio utique ex mente legum est condita. Illis enim temporibus abstinendum est a mercatura *cap. 1. X. de feriis*, ab omnibus actibus tam voluntariæ quam contentiosæ Jurisdictionis *cap. fin. X. eod. & L. II. C. de fer.* Ejusdem est tenoris Constitutio Imp. Orient. Emanuelis Comneni, quæ occurrit. *Apud Balsamonem in Photii Nomocanonem tit. 7. de Jejun. cap. I.* Patet itaque tempore feriarum non solum actus judiciales sed etiam extrajudiciales, quæ homines a cultu divino avocare possunt, esse interdictos.

§. 4.

His præmissis pedem promoveo ad feriarum attributa sive effectus: initium faciendo a citatione, & pensitata definitione statim patebit, citationem die feriato vel in diem feriatum factam non valere, idem constitutum inveniunt *De decreto citationis hoc tempore facto.* *L. 3. & fin. C. de feriis*, nec non *cap. fin. X. de f. r.* Nihil tamen secius dissentiant hic *Gailius lib. I. Obs. 53. num. 5. &*

*Rutg. Ruland. de Commis. Part. I. lib. 6. cap. 3. num. 21.* qui citationem decerni posse die feriato nullo alio ex fundamento contendunt, quam quod sit actus voluntariae Jurisdictionis, sed hæc sententia menti legum omnino non convenit: Neque enim ulla assignari potest ratio, cur alii actus in *L. II. C. h. t.* adducti magis sint prohibendi, quam decretum citationis. In omnibus enim voluntariae etiam Jurisdictionis actibus eadem militat ratio; quia scilicet homines etiam his actibus, a cultu divino avocantur. Neque hic obstat, quod hisce feriis emancipatio & manumissio permittæ sint in *L. 2. §. 8. C. h. t.* Hoc enim casu duæ regulæ colliduntur, una est quæ prohibet feriatis diebus hęc actus expediri, altera est favor magis libertatis: necessario igitur hic facienda erat exceptio §. 510. *Ontol.* Facta autem est illa a regula prima, neque mirum hoc videri debet, cum in concursu favoris libertatis, cum alia regula, semper ab hæc exceptio facta sit. Sic adveniendam rem suam nemo cogitur: in favorem libertatis vero, quis ad hoc compelli potest §. f. *J. de Donat.* Cancellatum testamentum regulariter non valet, valet tamen, quoad libertatem relictam *L. 3. ff. de his, quæ intest. delent.* Hinc libertas dicitur omnibus rebus favorabilior *L. 122. de R. J. & in l. 176. §. 1. ff. cod.* dicitur, infinitam esse libertatis & necessitudinis æstimationem; addatur etiam *L. 56. §. 3. C. de Episc. & Cler. quæ Lex* etiam variis Conciliis est confirmata Toletano III. XII. Matisconensi I, quæ exhibet Gratianus in suo decreto *Dist. 54. C. 13. 17. & 18.* Recte itaque Müllerus ad Struvium *h. l.* hoc nomine Gallium notavit, & recte controversiam decidit *Coccejus in Jure Controv. h. t. Q. 6.*

§. 5.

De citatio-

Alia est quæstio an ad diem feriatum citatus sequenti die

die comparere teneatur. Si plerosque Doctores consideres *ne ad diem*  
 affirmativam illos tueri deprehendes, *Wiestner in Instit. Jur. feriatum.*

*Canon. ad tit. de fer. num. 28. Stryck. in U. M. ff. h. t. §. 6.*  
*Gail. lib. 1. Obs. 53. num. 2.* Sed ut observavit *Huberus in*

*Prælect. h. t.* illud autoritate Juris omnino destituitur.

De fatalibus appellationis constitutum quidem est, diem  
 præcedentem observandum esse a partibus si terminus in  
 diem feriatum cadat *L. 2. C. de temp. appell.* Non vero va-  
 let ratiocinium ab appellatione ad citationem, quia post  
 fluxum horum fatalium omnis appellatio expirat, & sen-  
 tentia transit in rem judicatam, hæc autem fatalia cum sint  
 continua *Nov. 23. §. 1.* opus est ut antecedens dies a  
 partibus observetur, nisi appellatione cadere velint. Hæc  
 autem ratio cessat in citatione.

Quando igitur hoc obli-  
 gatorium esse debet, Judex addere debet, ut, si citationis ter-  
 minus in diem feriatum cadat sequenti non feriato die cita-  
 tus compareat. Illud etiam in Camera receptum est, prout  
 testantur *Gailius lib. 1. Obs. 53* & *Berger in Oeconomia Juris*  
*lib. 4. tit. 14. §. 2. not. 5.*

*§. 6.*

Sed neque insinuatio citationis die feriato recte fieri *De citatio-*  
 potest, dicitur enim expresse in *L. II. C. h. taceat apparitio, ne die fe-*

quod aliter intelligi non potest, atque quod omnia munera *riato infi-*  
 ad apparitores spectantia debeant cessare, & in eadem Lege *nuata.*

dicitur in fine: *Amissionem militiæ, proscriptionemque pa-*  
*trimonii sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis*  
*interesse, vel cuiuscunque judicis apparitor, prætextu negotii*  
*publici seu privati, hæc, quæ hac lege constituta sunt credi-*  
*derit temeranda.*

Quod etiam recte ex his concludit *Got-*  
*tofredus in notis ad dictam L. II.* Dissentit hic *Thomasius in*  
*Not. ad Strauch, ad dissert. 24. Thes. II.* hæc ex ratione, quod



ultima legis verba referenda sint ad antecedentia, in quibus citatio prohibita non sit. Sed pace Clarissimi viri dixerim. Legem non satis pensitavit; quid enim sibi aliud volunt verba taceat apparitio? Sed & præterea recte ex verbis *cit. l. nulla quemquam urgeat admonitio* concluditur neque citationem fieri posse feriato die. Fingè enim me ob debitum accusari, & die feriato citari, sane etiam ob debitum admoneor, quia citationis causa reo indicari debet, ut fere in omnibus iuribus constitutum est. *cap. 2. X. de dilat. R. 1. d. Anno 1654. §. 34. Ordin. Proc. Saxon. Tit. 4.* Recte itaque sese habet Doctorum sententia asserentium, neque insinuationem citationis feriato die fieri posse. *Brunnem. ad L. fin. C. de fer. & Nicol. de Proc. P. 1. cap. 4. num. 10.* Sed & idem in praxi receptum esse testatur *Thomas. in Not. ad Strauch. c. l.*

Non valent  
appellatio-  
nes & Leu-  
terationes.

Ex prædictis facile etiam colligi potest neque appellationem neque Leutationem die feriato interponi posse; sunt enim actus, qui hominem a cultu divino avocant; qui propterea legibus sunt interdicti, imo illud facile deduci potest ex *L. 2. C. de temp. appell.* ubi expresse ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano constitutum est; interponendam esse appellationem die antecedenti non feriato, si appellationis terminus in diem feriatum cadat, quod sane frustra constitutum esset: si etiam feriato die appellatio interponi posset. Secundum jus commune ergo res est extra dubitationis aleam positum. Sed quid dicunt Doctores? Sententiæ huic contrariatur *Brunnem. de Proc. cap. 6. num. 25.* & huic assentitur *Müllerus ad Struv. h. t.* Practici pugnant ut Andabata, & tugurium quod unus hodie exstruit alter cras iterum destruit. Nil magis quam leges crepant,



pant, ubi verò id agitur ut legitimo ratiocinio ex mente legum quid deducatur; ibi sunt magis muti, quam pisces: recte eorum laudes cecinit *Antonius Augustinus Tarracoen- sis Episcopus in Tract. de erroribus Pragmaticorum.*

§. 8.

Sed & præterea notatu dignum est, *cap. 1. X. h. t. interdi-* *Interdicun-*  
ci omnia sacramenta sive juramenta feriato tempore præ- *tur juro-*  
standa: exceptis iis, quæ pro pace vel alia necessitate præ- *menta.*  
stantur: eadem constitutio apud Ivonem Carnutensem &  
Burchardum Wormatiensem Episcopos legitur. Quod  
manifestum præbet indicium juramenta nondum pro parte  
cultus divini habita fuisse. Videtur hæc sententia primum  
invaluisse temporibus Innocentii III. vel Bonifacii VIII. qui  
primi fuere, qui contractus & alia negotia juramento con-  
firmata ad fora ecclesiastica traxerunt *cap. 13. X. de judic.*  
& *cap. 3. de foro compet. in 6to.* His enim legibus latis Cle-  
rici causas quascunque ad fora ecclesiastica pertrahere stu-  
dentes, persuadere hominibus conabantur, Juramenta  
esse preces per quas Deus hominibus redderetur propitius;  
contractibus vel aliis celebrandis negotiis deesse benedictio-  
nem divinam; nisi sacramenta accederent & quæ sunt hu-  
jus farina alia quibus laicis imponere studebant versuti cle-  
rici. Sed e diverticulo in viam; quaritur an Juramentum  
pro sopiende processu præstitum die feriato valeat, & af-  
firmandum puto; primo ex eo quod *cap. 1. X. h. t. expres-*  
se juramentum pro pace admittatur. Pax autem significat  
tam transactionem privatorum, quam publicum armisti-  
tium, ut observavit Clarissimus Böhmerus *in J. Eccles. ad* *Transactio-*  
*tit. Decretal. de Treuga & Pace §. 4.* Sed & exinde patet *nes sunt li-*  
ipsam transactionem licitam esse, cum juramentum ad *cita.*  
confirmationem transactionis præstari nequeat nisi acce-  
dat

dat transactio ipsa, idem egregie convenit cum *J. Civili*  
*vid. L. fin. C. de fer.*

§. 9.

*Exceptio in  
piis causis.*

Dixi supra ab omnibus actibus judicialibus abstinendum esse tempore feriarum, sed occurrunt hic exceptiones quas nunc exponere animus est, & quidem primo occurrit exceptio in piis causis; noto notius est, quanta piis causis sint privilegia in jure adscripta, loquuntur hoc manifeste materia de testamentis, legatis, contractibus &c. quæ latius exposuit Tiraquellus in tract. *de Privilegio piæ cause*, imò ipsis, in legibus plus justo fautum esse, succincte tradidit Rechenberg in *Dissert. de eo quod in pia causa impium est, sub Præs. Domini Wernheri*: Ipse Carpzovius Practicorum speculum unde in eos omnis lux reflectitur, de bonis ecclesiasticis & piis causis ratiocinatur ut superstitiosa anus, dicens bona Ecclesiæ esse patrimonium Christi *lib. 2. Jurispr. Consist. def. 39. §. in fin. & def. 1. & 2.* ea dicit esse juris divini & nullius in bonis, & quæ sunt alia ex imaginatione desumpta argumenta plura, quæ densissimum adhuc sapiunt papatum. Sed quæso quando causæ sunt piæ? quando agitur de lucro Clericorum. Inde *cap. 3. X. de feriis* permittitur captura Halecum, modo Clerici partem de tunica accipiant. Alia adhuc occurrit exceptio in casu necessitatis: i. e. quando præsumptio adest sequenti die rem tam bene expediri non posse. Hinc permittitur ex ante testium morti proximorum ut docuit *Stryck. in U. M. ff. h. t. Captura reorum si de fuga sint suspecti Scaccia de Judic. cap. 5. num. 28. & Grönov. ad L. fin. C. de fer.* Valet etiam propterea testamentum a valde agrotante tempore feriarum conditum *Besold. ad Jus Provinc. Würtemb. disp. 3. lib. 12.*

*In casu necessitatis,*

*Damni irreparabilis.*

Tertia est exceptio in casu damni irreparabilis, qui fere necessi-

cessitati æquipollet, hæc vero exceptio fundata est in *L. 10. C. de feriis*, ubi permessa tortura latronum, ut complices suos detegant, ne interea temporis dum tortura differtur, ulteriora adhuc damna inferant, licet tortura in genere prohibita sit *L. 6. C. eod.* Eodem ex fundamento recte deducitur, quod etiam permittendum sit, sequestrum foeminarum, vel aliorum bonorum, si metus armorum subsit. Et quæ sunt alia plura quæ exinde deduci possunt.

§. 10.

In omnibus his respiciendum est tam ad ferias judi- ad cuius fe-  
cis quam partium, inde est, quod in *L. 2. & 13. C. de Ju- rias sit re-*  
*dais*, interdictum sit ne Judæi sabbatho suo in jus rapiantur, spiciendum.  
cum eo etiam convenit Jus Canon: Judæis enim in hoc  
liberum religionis exercitium concessum est: *cap. 7. X. de*  
*Jud.* quod sane non esset liberum, si a Christianis prom-  
isue feriarum tempore in jus vocari possent, inde mi-  
ror tot Dd. contrariam sententiam amplexos esse *Eckholt.*  
*ad tit. de fer. §. 5. Zanger. de except. Part. 2. cap. 7. num. 2.*  
*Wiesnerus in Instit. Juris Canon. ad tit. de fer. num. 29.*  
quorum omnium sententia huc redit, tantummodo judi-  
cis ferias attendendas esse. Quoad Judæos sententia hæc  
omni caret fundamento, quoad hæreticos non; hæretici  
enim longe deterioris sunt conditionis quam Judæi, illis  
enim totus Romanus orbis interdictus erat *L. 5. C. de he-*  
*ret. & Manich.* his vero liberum est concessum religionis  
exercitium *L. 19. §. 1. C. de Jud. & Cæl.* Quoad mores no-  
stros eadem valet decisio, ita ut hæreticus ille sit, qui a  
principe permissam non profitetur religionem, ille sine  
dubio exceptionem suarum feriarum opponere non pot-  
est, illi vero, qui toleratam religionem in republica profiten-  
tur, audiendi sunt hanc exceptionem opponentes argum.

B

Lc-

Legum citat. Inde cum religio protestantium sit  
 etque approbata quam Pontificiorum: summa Imperii ju-  
 dicia utrarumque feriarum respectum habere tenentur, id  
 in Camera etiam observari testantur *Blum. Proc. Camer.*  
*62, num. 4 & Stryk. in U. M. ff. h. t. §. 1.*

§. II.

De interdi-  
 ctione solen-  
 nis matri-  
 monii bene-  
 dictionis.

Pedem promoveo ad effectus feriarum, qui tantum-  
 modo certis festis proprii sunt; huc spectat, quod certis fe-  
 stis solennis matrimonii benedictio sit interdicta, & qui-  
 dem ante Concilium Tridentinum hæc tempora erant,  
 tempus ab Adventu usque ad Epiphaniam, a Septuagesi-  
 ma usque ad primum Paschatos diem, a prima die Ro-  
 gationum usque ad Octavam diem post Pentecosten, *cap.*  
*4. X. de fer. & Cap. 8. & 10. Caus. 33. Qu. 4.* De priori-  
 bus temporibus vulgo ratio redditur, quod tempora Ad-  
 ventus constituta sint, ut Christiani præparentur ad sobriam  
 vitam, piamque meditationem nativitatis Christi *Hospin-*  
*anus de origine festorum Christian. fol. 160.* Tempora ve-  
 ro quadragesimalia ab antiquissimis temporibus fuere tem-  
 pora tristitia & poenitentia, & hæc tempora postea dege-  
 nerarunt in Septuagesimalia, ne scilicet quadraginta die-  
 rum jejunio, per ferias, quibus jejunium interdictum e-  
 rat, quicquam decederet, ut erudite docuit *Hospin. cit.*  
*tr. fol. 51.* Hinc est quod tempore jejunii, quod in pri-  
 mitiva ecclesia stationum tempus audiebat, ab omnibus  
 Latitiis sive spiritualibus sive temporalibus sit abstin-  
 dum, ita vice versa temporibus latitiæ ab omnibus tristi-  
 tiæ externæ signis. Tempora stationum uti dictum est sunt  
 tempora tristitiæ, hinc hoc tempore a sacerdote non reci-  
 tatur pars missæ, quæ dicitur *spiritualis exultatio* Tempus  
 Paschatos est tempus latitiæ, quo tempore pars missæ, quæ

Ratio pro  
 hibitionis.

Pœ-



*Poenitentialis operatio* audit, & in cantu sic dicti *Gradualis* consistit, omittitur, ut observavit *autor anon. Gallus in ar. Instruktion sur le saint sacrifice de la messe, avec la maniere d'y bien assister.* Parisiis anno 1701. edito.

§. 12.

Cur vero idem interdictum sit tempore, quod primam diem Rogationum & octavam Pentecostes intercedit, est quaestio difficilioris decisionis. Propter Pentecostes festum illud factum esse innuere videtur Innocentius III. in *cap. 4. X. de fer.* alii id in honorem Johannis cujus festum non longe post pentecosten celebratur institutum esse voluit, sed neque Innocentius, neque reliqui ac rem mihi tetigisse videntur, ostendendum enim erat, tempus hoc pro tempore tristitia habitum fuisse, ut ex §. 11. liquet: adfuerunt autem revera rationes cur tempus hoc ad luctuosa referrent; hoc enim tempore Christus ad caelos ascendens suam ecclesiam reliquit, & propterea eam tristem esse decet, & absentiam sponsi sui lugere: sed & in hoc tempore incidit adhuc aliud Lugubre festum Desiderii Lingonensium Episcopi, qui ad conservandam ecclesiam suam Crofco Vandalorum duci A. C. 411. ad mortem se ultro obtulit, & trucidatus est, ut observavit *Hospinianus de orig. fest. Christ. fol. 112.* Haec mihi videntur verae rationes cur tempus hoc ad luctuosa tempora relatum sit, & propterea etiam solennis benedictio matrimonialis interdicta. Sed aliquantum haec tempora mutavit Concilium Tridentinum, ita ut primo intervallo ab Adventu usque ad Epiphaniam retento, secundum a Septuagesima usque ad Paschatis Octavam, reduxerit ad tempus, a feria quarta Cinerum, i. e. mercurio primae hebdomadis quadragesimalis, ad eandem feriam Paschalis septimanae octavam compu-

*Tempora in  
Concil. Tri-  
dentino  
mutata.*

B 2 tandum.



tandum tertium plane rejecerit vid. *Seff. 24. cap. 11.* Probe autem notandum est, temporibus supra memoratis non interdici matrimonium ipsum, vel ipsam benedictionem sacerdotalem, hæc a Pontificiis ad Cultus divini speciem referuntur, propterea nullo unquam tempore interdenda, ut bene monent *Esperius Clarissimus J. Canon. Doctor in J. Eccles. Part. 11. tit. 13. cap. 2. §. 7.* & *Corvinus in Aphorism. J. Canon. lib. 2. tit. 13. §. 100.* Minus recte igitur, in eo convenire cum Lemuriis festis apud Romanos, censet *Hospinianus orig. fest. Christ. fol. 160.* his enim plane uxores ducere non licebat. Est multorum Theologorum cacoethes, Pontificiam religionem per comparisonem cum religione Gentilium detestabilem reddere: sane si non meliora argumenta in medium proferre possint, quibus Pontificiæ religionis falsitatem demonstrent, habent Pontificii, de quo sibi gratulentur & quod rideant. Sed & quæ superius de solenni benedictione matrimoniali dicta sunt apud Protestantes valere solent, & quidem ita: ut diebus festis in honorem Dei institutis non liceat celebrare nuptias lautis conviviis, musica, chorearum ductu, ut testatur patientissimus compilator *Carpzov. in Jurispr. Consil. lib. 2. def. 151.* & *Böhmerus in notis ad Corvini Aphor. J. Canon. lib. 2. tit. 13. §. 100. not. q.*

§. 13.

*Interdictum  
adgeniculationis,*

Sunt adhuc alii feriarum effectus, qui certis tantum festis proprii sunt, qui licet potius ad Theologorum scamna pertineant, tamen quia ad intellectum juris Canonici non nihil conducunt, eos etiam hic exponere volui: & primum occurrit interdictum adgeniculationis in precibus, quæ in orientali ecclesia *ὀνόπισις* dicebatur. Interdicta autem erat hæc adgeniculatio temporibus lætitiæ: hæc ve-

ro erant omnes dies Dominicæ totius anni, & tempus quod Pascha & Pentecosten intercedit, quia his diebus gaudium resurrectionis salvatoris nostri celebratur. Notandum autem est, poenitentibus non licuisse stantibus preces fundere, sed, ut Patres loquuntur, de geniculis adorabant, & hoc erat verum poenitentium criterium, si quis in ecclesia atrio consistebat, & flexis genibus preces fundebat. Ne igitur luctuosum huncce statum ecclesia temporibus lætitiæ induisse videretur, nefas habebatur hoc tempore flexis genibus orare. *Can. 17. Dist. 30.* provocatur ad Traditiones Apostolicas a canone antiquo retentas, qui sine dubio est Canon vigesimus Concilii Nicæni primi, ut patet *ex Can. 10. de Consecr. Dist. 3.* minus autem recte id in citato *can. 17.* ad Traditiones Apostolicas refertur, cum id ipsum jam rejecerit Tertullianus in tract. de Corona militis ut docuit *Hospin. de orig. fest. Christ. fol. 40.* sed eadem constitutio jam restricta est per *cap. 2. X. de feriis,* & praxis hodierna ecclesiæ Pontificiæ sapius ab ea recedit.

§. 14.

Pergo ad jejunia, quæ etiam certis festis interdicta e- *interdictum*  
rant, illis scilicet, quæ erant lætitiæ. Jejunia erant torturæ *jejunii.*  
poenitentium, quibus ad meliorem frugem reducerentur,  
& inde lætos Christianos non decebant. Hæc tempora e-  
rant Dominicæ totius anni, & Saturni dies *can. 17. Dist. 30.*  
& *Can. 13. de Consecr. Dist. 3.* accedebat alia jejuniorum inter-  
dicendorum ratio, scilicet, ne illa caderent in dies quo Genti-  
les vel Judæi etiam jejunia celebrabant, hinc ortum est,  
quod, cum hæc regulæ interdum inter se colliderentur, dis-  
sensu circa tempora jejunii ortus sit. Id ipsum jam obser-  
vavit *Socrates in hist. Eccles. lib. 5. cap. 22.* ubi ita: *Primum*  
*igitur jejunia illa, quæ ante Pascha fiunt, aliter apud ali-*

os observari reperies. Nam qui Romæ sunt tres continuas hebdomadas exceptis sabbato & dominica die jejulant. Qui vero in Illyrico & per universam Achajam & qui Alexandria degunt, sex ante Pascha septimanas jejulant, idque jejunium quadragesimam vocant, in subsequen- tibus idem Socrates non solum discrepantiam in diebus, sed & in jejunandi modo fuisse docet. Apud ipsos etiam Judæos jejunia tempore latitæ interdicta fuere; sabbatho sane apud ipsos jejunare nefas erat. Neque obstat locus apud Sueton. in Octav. cap. 76. ne Judæus quidem mi Tiberi tam libenter sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi: Gentiles enim quosvis Judæorum festos dies etiam tristes & luctuosos sabbata dixisse, observat Selden. de Jur. Nat. & Gent. lib. 3. cap. 15. p. 36. Ex his lucem accipit cap. 2. X. de maledicis, ubi blasphemus imponitur poena, ut septem diebus dominicis stando ante fores pœnitentiam agat, & licet his diebus jejunium convenientius videretur, tamen ob interdictum Dominicæ jejunium his diebus nullum illis impositum legitur, sed diebus Veneris sive sextis feriis has dominicas præcedentibus. Huc etiam quadrat, quod in Can. 17. Dist. 30. legitur, si scilicet hic canon recte emendetur, quia vero ille nimis obscurus est, placet pauca adjicere, quæ ad intellectum hujus Canonis faciunt, Scilicet canon hic desumptus est ex canone 18. concilii Gangrensis, quod contra Eustathium Dist. 16. can. & sic etiam contra Manichæos, a quibus ille suos errores hauserat, convocatum est. Canon autem 18. Gangrensis concilii sic sonat: si quis ob pietatis, quem ad modum putatur, exercitationem die Dominico jejunet anathema sit. Idem sensus est, canonis quem Ivo Carnutensis & ex eo Burchardus Wormatiensis ex concilio Turonensi referunt. Si quis propter pu- blicam

explicatur  
6 an. 17. Dist.  
29.



blicam poenitentiam a sacerdote acceptam absque aliqua necessitate die Dominica pro quadam religione jejunarit sicut Manichæi anathema sit. Inepta autem est lectio vulgaris, si quis presbyter. nam nulli Clerico poenitentia publica imponi potest *can. 66. dist. 50. & can. 5. dist. 82.* Sed & notatu dignum est *cit. can. 17.* interdictum de adgeniculatione, de quo §. 13. egi, referri ad traditiones Apostolicas, interdictum de jejuniis non item, hoc sine dubio ideo factum est, quod ipse Augustinus, cujus in ecclesia Pontificia est magna autoritas, rem hanc ex traditionibus Apostolicis decidi posse negaverit. Sic enim scribit *epist. 86. ad Casolanum data: Quod si respondetur, hoc docuisse Jacobum Hierosolymis, Ephesi Joannem, cæterosque aliis locis, quod Romæ docuit Petrus i. e. ut sabbatho jejunetur, sed ab hac doctrina cæteras terras deviasse, atque in eâ Romam stetisse, & e contrario refertur, occidentis potius aliqua loca, in quibus Roma est, non servasse, quod Apostoli tradiderunt; orientis vero terras, unde coepit Evangelium prædicari in eo, quod ab omnibus simul, cum ipso Petro Apostolis traditum est, ne Sabbatho jejunetur, sine aliqua varietate mansisse, interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones.*

§. 15.

Sunt adhuc alii feriarum effectus, sed qui ex supra *transitus ad* dictis facile deducuntur, & jam ab aliis specialiter excusfi *cap. 2.* sunt, huc pertinet *Lauterbachii dissertatio de feriis & Nicolai de Clemangi tract. de feriis*, superfluum proinde videtur plura hic afferre. Confero me potius ad *Cap. II.* ubi de moralitate festorum & jure Principis circa illa differere instituti ratio efflagitat.

CAP.



CAP. II.  
DE MORALITATE FESTORVM  
ET JURE PRINCIPIS CIRCA  
ILLA,

§. I.

*Perinde est  
quocumque  
tempore  
festa insti-  
tuantur.*

UT de moralitate festorum tractatio videatur esse al-  
terius fori; hic tamen pertractanda omnino est, quo-  
niam non recte de potestate Principis circa illa judicari pot-  
est, nisi de festorum moralitate certum sit tibi iudicium. Si  
igitur sacram Scripturam consideres, videbis, Apostolos,  
valde urgere neminem obligatum esse, hoc vel illo tem-  
pore ferias instituendi *ad Rom. 14. v. 5. 6. ad Gal. 4. v. 10,  
11. ad Col. 2. v. 16, 17.* Perinde erat quocumque tempore  
instituerentur; quo ipso tamen obligatio ad celebranda  
festa non est sublata: praxi primitivæ ecclesiæ utique do-  
cemur, eos certis diebus, quando ipsis visum erat, con-  
venisse, orasse, agapas & sacram Eucharistiam erogasse, &  
quæ sunt similia, hæc sunt tam nota, ut illum, qui hoc ne-  
get, valde hospitem in historia Eccles. esse oporteat; Sed i-  
dem confirmatur ex Philosophia; & egregie hic ratio cum  
sacra scriptura conspirat, (quod etiam fieri debet si reve-  
latio sit genuina per §. 1014. *Met.*) ut demonstratum est  
§. 763. *Mor.* & 724. *Pol.* Non igitur opus est ut rem de  
novo hic demonstrem, præsertim cum ad genuinam de-  
monstrationem plurima requirantur, in antecedentibus  
jam evicta; neque enim statim unico argumento id demon-  
strare licet; natura enim non facit saltum neque in corpo-  
ralibus §. 686. *Met.*, neque in anima, quia status præsens  
animæ habet rationem sufficientem in anteriori, §. 809.  
& §.

§. 810. *Met.* Potius igitur ad genuinam demonstrationem provocare quam mancā afferre volui.

§. 2.

Sed quaeritur, quomodo sint celebranda festa, & respondeo: cum festis diebus per solennitates beneficia divina in homines collata, sint in memoriam revocanda per §. 2. *Modus festa celebrandi.*  
 cap. 1. praestat adesse plures, qui precibus, cantu vel aliis solennitatibus beneficiorum divinatorum memoriam recolant, pluralitas enim precantium preces reddit ardentiores §. 765. *Mor.* & cantus ad sacrum cultum maxime utilis est §. 766. *Mor.* proinde quia homo est obligatus ad praferendum id quod praestat §. 10. *Mor.* erit etiam obligatus ad cultum publicum, ubi plures adsunt frequentandum. Sed idem patet ex §. 367. & 421. *Pol.* ubi expresse vir profundissimus demonstravit, magistratui incumbere, ut prospiciat ne cultus Dei publicus vilipendatur. Stant haec veritates, ut cautes Marpesia, licet eruditissimo Gundlingio adstipuler, eas ex sacra scriptura erui non posse, *in dissert. Gundlingianis inserta ad S. Script. locum ad Hebraeos 10. v. 25,* quae enim ex natura rationis intelliguntur, ea Deus per miraculosam revelationem ut manifestet opus non est §. 1011. *Met.* Erravit igitur procul dubio Lutherus, qui putat festos dies institutos esse tantummodo pro plebecula; nam licet intelligentes sciant, quid agendum sit, non tamen hujus semper sunt memores, *ita Lutherus in Catechism. Majori ad Praeceptum III. pag. m. 407. Ceterum ut hinc Christianum aliquem intellectum hauriamus pro simplicibus, quidnam Deus in hoc praeepto a nobis exigit, ita habe. Nos dies festos celebrare, non propter intelligentes & eruditos Christianos, hi enim nihil opus habent feriis, ve-*

C

1711



ram omnium primum corporalis cujusdam necessitatis gratia, quam & natura docet & exigit, nimirum communis multitudinis gratia, servorum, ancillarum & qui per totam hebdomadam laboribus servierunt, ut & ipsi diem habeant, qua ab operibus respirantes semet ex labore reficiant, & corpora fessa quiete firmare queant.

§. 3.

Patrum de  
temporibus  
instituendo-  
rum festo-  
rum senten-  
tia.

Sed & circa festa ipsi primitivæ ecclesiæ patres docuere, hæc non necessario his vel illis temporibus celebranda esse, sed licere unicuique ecclesiæ ex sua utilitate festorum tempora determinare, notanter. *Socrates lib. 5. Hist. Eccles. cap. 22.* Nusquam igitur *Apostolus* nec ipsa *Evangelia* jugum servitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt, sed *Paschatis festum* & alios dies festos, ipsi homines suis quisque locis propter remissionem laborum, & memoriam salutiferæ passionis sicuti voluerunt, ex consuetudine quadam celebrarunt, neque servator hoc aut *Apostoli* nobis lege aliqua observandum esse mandarunt, neque poenam nobis aut supplicium, quemadmodum *Judæis* lex *Mosis* comminatur: sed historico tantum modo ad reprehensionem *Judæorum*, quod homicidium diebus festis exercuerit, & quod *Christus* tempore azymorum passus sit conscriptum est in *Evangelis*. Erat igitur *Apostolis* non de festis diebus sancire, sed rectam vitam & pietatem inducere. Eadem fuit sententia *Nicephori*, qui expresse *lib. 12. Hist. Eccl. cap. 32.* dicit. Satis liquet neque *Evangeliorum* librum neque *Apostolos* *Christianis* servitutem legis imposuisse, sed ut & *Pascha* & reliquos festos dies honorifice, quandocumque eis visum fuisset, peragant. Eiusdem sententiæ etiam fuere patres *Seculi II. & III.* ut patet ex *Justino Martyre in Dialogo cum Try-*

*Tryphone p. 226, 229, 235, 240. Ireneo lib. 4. ad v. heres cap. 30. & Tertulliano ad v. Judæos cap. 4.* Vel ideo plura loca adducere placuit, quia mihi notum est Socratis testimonium a Pontificiis in rebus fidei ut Novatiani rejici, quod tamen minus recte fit. quia eadem ex ratione Tertulliani testimonia rejici possent, utpote qui Montanista factus est.

§. 4.

Progredior ad diem solis sive dominicum, quem illi *De solis die* etiam, qui omnia festa rejiciunt, tanquam lege divina institutum, necessario observandum esse, censent. Fundamentum decisionis quaritur in loc *1. Cor. 16. v. 7.* ex quo clarissimus *Sain. Basnage in Ann. ad A. 33. §. 176.* concludit, legem adfuisse de celebranda dominica, sed licet concedam cum *Augustino ep. 56. & Justino Martyre in Dial. cum Tryphone p. 260.* diem illum de quo cit. loco fit mentio, esse solis Diem, tamen inde nihil magis inferri potest, quam quod ecclesia eum diem non ex necessitate quadam, sed ex libero arbitrio celebraverit; ex hacce autem observantia nulla in hodiernam ecclesiam transit obligatio. Alias ex simili praxi ad sabbatum judaicum & alios festos obligamur, ut observavit *Petrus van Hoeke in commentario analytico in epist. ad Hebræos. Lugdun. Batar. Anno. 1693. edito fol. 174.* Sed & idem per praxin seculorum primorum confirmatur, qui nullo ad certum diem habito respectu, quotidie convenerunt, orarunt, Eucharistiam erogarunt, & similia, id ipsum agnovit *Eusebius lib. 1. Hist. Eccl. cap. 4.* dicens. *Itaque nec circumcisionem nec sabbatum observare curæ illis fuit; sicut nec nobis, neque a certis cibis abstinere, & alia quædam sollicitè observare, que*

primus omnium Moyses typice agenda & custodienda posteris tradidit. Sicut neque nunc apud Christianos quicquam horum geritur. Patet illud etiam ex eo, quod conventus pluribus septimanæ diebus celebrati fuerint, cum Dominica jam esset introducta; insignis hac de re est locus apud Hieronymum in comment in Epist. ad Gal. cap. 4. *Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christum, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus; Non quo celebrior sit dies illa, qua convenimus, sed quod quacumque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo letitia major oriatur.* Sed & idem ex pluribus aliis Patrum locis docuit Eruditissimus Böhmerus, vir in historia ecclesiastica versatissimus, *Dissert. I. Juris Eccles. antiqui ad Plin. & Tertul.* eandem diaphoriam solis diei jam agnovisse videtur Lutherus, qui in *Catechismo majori p. 407.* sic ratiocinatur: *Quamobrem hoc præceptum, quantum ad externum & crassum illum sensum attinget, ad nos Christianos non pertinet. Est enim externa quedam res, sicut omnes aliæ veteris testamenti constitutiones, certis quibusdam ritibus, personis, temporibus & locis destinatae, quæ omnes jam per Christum liberæ factæ sunt.* Consentit *Augustana confessio artis. 15. de ritibus ecclesiasticis* docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia; ad festa autem hic relata etiam referri dominicam, probavit *Fechtius, Rostochiensis Theologus non incelebris, Exercit. de Sabbatho cap. 8.* Ipsi Pontificii, licet in observatione festorum valde sint superstitiosi, semper tamen acriter contra Sabbatharios disputarunt, ut constat ex *cau. 12. de Consecr. Dist. 3.*



§. 5.

Sunt autem circa ferias in genere triplices Theologo-  
rum sententiæ: prima est illorum, qui omnes ferias exce-  
pta unica Dominica rejiciunt; hæc fuit sententia Petri de  
Bruis Canonici Lucensis in Italia, qui vixit seculo duodeci-  
mo & nomen peculiari sectæ Petrobrusianæ indidit; eum  
secuti sunt Theologi Scoti & Angli non-Conformistæ, &  
Puritani, imo etiam Genevenses Theologi, & hæc senten-  
tia confirmata est in synodo Edenburgi an. 1566. habita.  
Secunda est Ebionitarum, qui omnia festa Judaica tempo-  
re in scriptura sacra determinato celebranda esse censuerunt,  
& propterea divum Paulum Apostatam dixerunt, utpote  
qui necessitatem statutorum festi dierum sapius in suis epi-  
stolis rejecerit. Tertia denique est illorum, qui festos dies  
Christianis omnino commendandos esse dixerunt, eos tamen  
pro lubitu a quibusvis ecclesiis adornari posse; & hæc  
verior sententia fuit Patrum, & est plerorumque hodie-  
norum Theologorum.

§. 6.

Ea, quæ a Petrobrusianis afferuntur argumenta, pro-  
lixè jam refutata sunt a Celeb. *Hospiniano Cap. 1. de festis,*  
& proinde B. L. ad ejus lectionem remitto. Sed in sce-  
nam prodeat Theologus Belga *Koelmannus*, qui in dis-  
sert. *De festis diebus in ecclesia reformata celebrari solitis*  
anno 1693. Trajecti ad Rhenum edita, eundem errorem  
defendere allaboravit. Nullam ego illius mentionem in-  
jecissem, nisi observassem, dissert. in actis erudit. Lips. la-  
tin. mense Decembri anni 1693. recensitam esse. Quid e-  
nim ad me ille Tenebrio? Sed audi argumenta Liberalium

artium Magistri, Philosophiæ Doctoris, novique testamenti Ministri, (ita enim in differt. se nominat). Primum est argumentum Theologi, tale, quia Jerobeamus propter institutionem festorum reprehensus legitur *1. Reg. 12. v. 32. & 33.* Ego vero L. B. tibi jam demonstrabo argumentum Theologi non esse Theologi: quicumque est sacræ script. falsarius ille non est Theologus; atqui Koelman. &c. Ergo. Major per se patet; minor vero sic ostenditur: citato loco *1. Reg. 12. v. 32. 33.* agitur de festis idolis institutis, & propterea Jerobeamus legitur reprehensus, & hæc in differt. applicat. ad festa Reformatorem & Christianorum. Sed jam audi, quod horrendum dictu est: Doctorem Philosophiæ ex duabus hypothesibus, quarum prima est falsissima, secunda autem, quæ nunquam probari potest, certam conclusionem deducere volentem. Quicumque cultus divinus à Deo in sacra script. non est præceptus, ille est eliminandus; atqui celebratio festorum est cultus divinus a Deo non præceptus: ergo &c. major est falsissima, quia Deus illud non manifestat, quod per rationem intelligi potest *1. 1011. Met.* Minorem vero neque probat, neque probare potest. Affert adhuc quatuordecim, quæ partim sunt Petrobrusianorum, & ab Hospinianò jam refutata, partim sunt tam jejuna, ut etiam infimum Philosophiæ dupondium dedeçant. Hoc tamen non obstante recte sese Philosophiæ Doctorem dixit, nam vivimus in seculo eclecticico, ubi Doctores Philosophiæ sibi plerumq̃ arrogant privilegium multa garriendi & nihil demonstrandi, multa ex multis colligendi & nihil sciendi, plaustra argumentorum proferendi, quorum nullum tantum valet, quantum nux vitiosa.

§. 7. Restat



§. 7.

Restat altera secta, quæ fuit Ebionitarum. Secta hæc plurimis in rebus judaizavit, circumcissionem & plurima ad cultum Leviticum spectantia introducere studuit, & proinde a multis pro judaica habita fuit. vid *Arnold. in hist. eccles. & heret. lib. 1. Cap. 4. §. 13.* hinc cum videret Paulum in suis Epistolis Judæorum festa improbasse, eum (ut consequentarii facere solent) nominavit apostatam. Sed mei instituti jam non est ut disquiram, an epistolæ Paulinæ sint canonicæ, ego illud potius Theologis discutendum relinquo. mihi sufficit, quod, posito quod epistolæ Paulinæ sint genuinæ, ex illis ostendi posset judaica festa, quæ certis diebus tantum celebrari fas est, in novo foedere esse abrogata. Firmo igitur stat mea sententia talo, festa in unaquaque ecclesia esse instituenda, sed illorum tempore ex utilitate cujusque ecclesiæ determinari posse. Eadem sententia est non solum Reformatorum sed & Lutheranorum, ut supra exhorum fidei formulis ostendi: quoad Reformatos unicum mihi sufficit adduxisse Hospiniani locum, qui materiam hanc egregie illustrat, & existat fol. 5. cit. tract. *Hæc vero simul omnia non solum præcisæ & necessariæ temporum observationes, sed & ipsa festa, conscientis in novo testamento abrogata sunt penitus. Non quod ecclesia Christi sine statis & certis festis diebus vel possit vel debeat esse. Nam ut alio loco docuimus, naturale est, ut dies sint certi & determinati, quibus feriemur ab operibus externis & corporalibus; tum ut vacemus Deo rebusque divinis, & in iis conveniamus certo in loco ad auditum verbi Dei, preces & usum sacramentorum. tum etiam*

*Error Ebionitarum.*

*Hospiniani sententia de feriis approbatur.*

etiam ut quies concedatur servis & operariis nostris. Hi vero dies eorumque determinationes non sic in novo ut in veteri testamento obligant in conscientia; sed tantum scandalum & contemptus ratione, nec etiam ita certis temporibus sunt affixi & alligati, ut si ex usu ecclesie esset, ipsaque necessitas postularet, non liceat mutare, & in alios commodiores dies transferre. Proindeque etiam dies isti determinati ad feriandum non debent in & per se considerati reliquis diebus haberi sanctiores, quasi mysterium & figuram, vel significationem aliquam, ut in veteri testamento continent. Sed solum tanquam determinati disciplinae, ordinis ac politicae gratia & propterea cum hac determinatione consistat aequalitas dierum.

§. 8.

Contentio  
de celebran-  
do Paschate.

Seculo secundo jam a multis in alia omnia itum est, ita tamen ut adhuc mitius precederetur. Sed seculo quarto jam unus alteri haereseos infame stigma inurere conabatur, si inter duos contentio de tempore celebrandi festi diei incideret. Manifestum hac de re exhibet exemplum contentio de celebratione Paschatos. Viguit hac contentio jam seculo secundo primum inter Pium, & postea etiam inter Victorem & in Romanos minoris Asiae Episcopos: utrisque mordicus observantiis suis ecclesiasticis inhaerentibus ante seculum secundum nulla hac de re fuit contentio, licet jam ante illud non omnes ecclesie uno tempore Pascha celebrarent, illud etiam impudentissimo Victori objecit Irenaeus in epistola ad illum data, quam exhibet *Euseb. lib. 5. hist. eccles. cap. 24.* ubi cit. *Presbyteri, qui ante Soterem ecclesiam cui tu nunc praees gubernarunt, Anycetum & Pium & Hyginum cum Thelesphoro & Xysto, neque*

neque ipsi unquam observarunt, neque his, qui cum ipsis erant ut id observarent, permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus celebrant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, quibus id observabatur. Victor Pontifex, ut alias ad suæ ecclesiæ observantiam pertraheret, provocavit ad traditiones Apostolicas, quæ provocatio jam tum temporis ita in usu fuit, ut si quis stulte aliquid affirmaverat, quod probare nunquam poterat, ad observantias ecclesiasticas tanquam ad sacram anchoram recurreret, quod plurimis exemplis ex antiquitate probare possem, si id esset hujus loci: imo posito genuinam fuisse observantiam ab Apostolis incorrupte translata, tamen illud potius referendum fuisset ad adiaphora i. e. ad illa, cujus ratio in omnibus ecclesiis non datur; proinde ad illud nulla ecclesia obligari poterat. Nam licet ab apostolis aliquid etiam expresse præceptum vel vetitum sit, tamen hujusmodi præceptum nullam ecclesiam obligat; nisi eadem adsit ratio, quæ fuit Apostolis, dum illud præciperent vel vetarent: superstitio quidem hic multa ogganniet, res tamen per se vera est, hinc licet fuerit prohibita manducatio sanguinis & suffocati, & illius quod idolis erat immolatum *AE. 15. v. 28, 29.* Unctio infirmorum præcepta *Jac. 5. v. 14.* tamen hæc hodie jure abrogari, potuere: non solum autem hæc, sed & multa alia: ut *Agapæ*, quarum fit mentio *1. Cor. 11. v. 21, 22.* elevatio manuum tunc temporis in precibus necessaria *1. Tim. 2. v. 8.* institutio Diaconorum, vel ut alii rectius volunt Presbyterorum *AE. 6. v. 3.* Salutatio cum osculo pacis *ad Rom. 16. v. 16.* manuum impositio *1. Tim. 5. v. 22. ad Ebr. 6. v. 2, AE. 8. v. 17.* capilli resectio viris injuncta *1. Cor. 11. v. 14.* Item

*Ad tempus quo Pascha celebrarunt Apostoli non obligati sumus.*

D

ut

ut viri nudato foemina tecto capite preces fundant, & adhuc alia multa, eandem veritatem jam agnovit *Burroughs* Anglus Theologus in tractatu Anglico idiomate conscripto. *De unitate ecclesiae* cujus excerpta referuntur in *Act. Erudit. A. 1705. Mens. Majo pag. m. 233.*

§. 9.

*Causa diffensionum.*

Harum diffensionum primaria causa fuit, quod Episcopi Romani jam tunc temporis Patriarchatum quendam in omnes ecclesias affectarint; inde opus erat, ut ecclesias obligarent ad sua liturgica recipienda, ut ab ecclesia Romana quasi dependere viderentur, audi hac de re ratiocinantem Innocentium in epistola ad Decentium Eugubinum *Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare domini sacerdotes; nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur: sed dum unus quisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt, traditiones antiquas humana praesumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis, vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe Apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec sic perduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? & non multo post qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus studeant, caput inhi-*

*institutionum videantur omittere.* Pars hujus epistolæ refertur in can. 11, Dist. 11. Eadem mensuit Julii Pontificis; audi eum vociferantem ut circumforaneum, qui suam medicinam pro quovis genere morbi commendat, *in can. 3. Dist. 11.* Hæc fuit vera causa, cur Praefules Romani ecclesiarum minoris Asia morem celebrandi Paschatis quattodecima mensis primi damnarent: alia autem causa, ab illis pratendebantur, scilicet non decere, Pascha eodem tempore celebrari, quo Judæi Christi interfectores id celebrarent. Hermeti fidei Doctori angelum Domini apparuisse eumque præcepisse, ut Pascha die dominico celebraretur *can. 21. de Cosacr. Dist. 3.* Sed neque prior ratio, neque hoc somnium minoris Asia Episcopos movere potuit, ut ad observantiam Romanæ ecclesiæ sese accommodarent. Perlata igitur est hæc contentio ad Concilium Nicænum, in quo licet tempus determinaretur, tamen multis in ecclesiis primum tempus scilicet quattodecimæ retentum fuit, ut de pluribus Anglicanis ecclesiis testatur *Arnold in hist. Eccl. & hæret. lib. 7. cap. 5. §. 1.*

§. 10.

Ex his altercationibus elucet, jam seculo quarto ecclesiam a vera de festis doctrina descivisse: jam tum undique canebantur classica ad persequendos hæreticos, cujus perpetuus fomes erat ambitio Clericorum, qui nefando ausu quosvis, qui vel in minimis ab eorum sententia secessum facere audebant, dirissimis subiciebant persecutionibus: idem fatum experti sunt Quartadecimani nulla alia de causa, quam quod eodem tempore, quo Pascha celebrandum esse concilium Nicænum decreverat, illud non celebrarent *vid. Arnold cit: loco* neque hæc nullo neque sanguine neque

D 2

precip-

*Persecutio  
quattodecimano-  
rum.*

precibus expianda savitia inde excusari poterat, quod Quartadecimani canonibus in oecumenico concilio conditis non essent obedientes, quia, ut superius ostensum, unaquæque ecclesia jus habet ex sua utilitate festorum tempora determinandi. Longe moderatior fuit ecclesia orientalis, quæ propterea nullam ecclesiam pro hæretica habuit, quod in illa certi canones in conciliis conditi non fuerint recepti, multo minus membra illius tam diris persecutionibus subdidisse legitur: exemplum affert Clar. Paris. Archiep. *Petrus de Marca in Concord. sacerdot. & imper. lib. 2. cap. 16. §. 6.* ex Anastasio bibliothecario, qui mentionem facit canonis cujusdam Trullani; & ita ratiocinatur: *Nec te moveat, si hanc definitionem nos minime habeamus, cum & earum nonnullas, quas inter canones habemus, in auctoritatem non recipiamus, sicut quosdam ex conciliis. Aliæ namque apud Græcos tantum, aliæ vero apud certas solum provincias in observantia ecclesiastica assumentur, sicut sunt Laodicensis concilii 16, 17. regulæ, quæ apud Græcos tantum servantur, nec non Africanorum conciliorum 6. & 8. capitula, quæ nulla provincia servare nisi*

*Illius cause Africana dignoscitur.* Illud si advertissent impudentissimi illi hæreticatos, Quartadecimanos pro hæreticis non habuissent, neque eos tam diris persecutionibus subjecissent. hoc vero quod factum fuerit, mirum non est, cum æmulationes, invidiæ, rixæ inanes & ignorantia clericorum, seculo quarto jam longe lateque grassaverint: audi quam graphice miserum ecclesiæ sui temporis statum describat *Salvianus Massiliensis in tract. adv. avaritiam*, qui postquam primævæ ecclesiæ statum collaudasset, fere in limine lib. I. dicit. *At nunc pro his omnibus avaritia, cupiditas, rapina,*  
*quæ-*

quæque his sociæ & quasi Germana unitate conjunctæ sunt  
 invidiæ, inimicitæ, crudelitates, luxuriæ, impudicitæ,  
 perditiones, quia superiora illa istorum usibus militant,  
 succedere; ac sic nescio (alloquitur hic ecclesiam) quomodo  
 pugnante contra temetipsam tua felicitate, quantum tibi  
 auctum est populorum; tantum pene vitiorum: quantum ti-  
 bi copiæ accessit, tantum disciplinæ recessit, & prosperitas  
 venit quæstum cum magno foenore detrimentorum. Mul-  
 tiplicatis enim fidei populis fides imminuta est; & crescen-  
 tibus filiis suis mater ægrotat, factaque es ecclesia, pro-  
 feceruturæ fecunditatis infirmior, atque accessu relabens, &  
 quasi viribus minus valida. Diffudisti liquidem per omnem  
 mundum, religiosi nominis membra, religionis vim non ha-  
 bentia, ac sic esse coepisti, turbis opulens, fide pauper, quan-  
 to ditior multitudine, tanto egentior devotione, longior cor-  
 pore, angustior mente, eademque, ut ita dixerim, & in te ma-  
 jor & in te minor, novo pene & inaudito genere processus  
 & recessus crescens simul & decrescens. Itidem Chrysosto-  
 mus miserum ecclesiæ statum sub Constantino M. depin-  
 git in lib. adv. Gentil. Cum imperialem thronum conscendit  
 is, qui nobiscum in fide ac opinione consentit, hinc sequiores  
 efficiuntur res Christianorum, & paulo post. Rursus cum  
 impius aliquis Imperator regnat, qui nos undique urget, qui  
 nos infinitis malis exercet, tunc eadem pretium accipiunt  
 & inclarescunt. In specie de vitiis clericorum illius seculi  
 vid: Eusebius hist. Eccl. lib. 8. cap. 1. 2. & Socrates lib. 7.  
 hist. Eccl. cap. 7. his accessit crassissima Patrum concilii  
 Nicæni ignorantia, secundum regulam, quoquis impu-  
 dentior eo indoctior. Ignorantiæ manifestum affert te-  
 stimonium Gelasius Cyzicenus in hist. Concil. Nicæni, ubi



refert, Philosophum quendam a Patribus demonstrationem petiisse divinitatis Spiritus Sancti, eum vero nihil aliud responsi tulisse, quam quod in quodam libro *Susceptio Moysi* dicto, angelus Michael Diabolo dixerit. Omnes a Spiritu Sancto creati sumus; secundo quod *Esaie cap. 48.* legatur, quod manus Dei hæc omnia fecerit, per manum autem intelligendum esse Spiritum Sanctum. Novi quidem *Caveum in hist. Liter. Scriptor. Eccl:* fidem Gelasii infringere studuisse: quoad hanc vero historiam fides ejus minime sublesta haberi potest, quia idem refert Rufinus & alii citati ab *Arnoldo in hist. eccl. & her. lib. 4 cap. 7.* qui etiam ostendit, illum a laico quodam, (quem multi Spiridionem fuisse credunt) de Spiritus Sancti divinitate convictum esse. Hæc vero omnia vel ideo adducere placuit, ne quis meam de feriis & festis diebus sententiam prolixè satis in superioribus confirmatam ex seculi quarti Doctrina labefactare studeat, & ne quis auctoritatem Concilii Nicæni, cui vulgo nimium tribuitur, incaute pro norma credendorum habeat, & aliis ut infallibilem in vitis obtrudat. Plura huc facientia quidem adducere possem; sed nolo, quia non expedit irritare crabrones.

§. II.

*Cui competat jus ferias adornandi,*

Nunc porro ostendendum erit, cui tam apud Pontificios quam Protestantes competat jus ferias adornandi; res autem jam facile definiri potest. Dico, hoc jus apud eum esse, penes quem est in rebus ecclesiasticis majestas, sive penes illum, qui jus habet illimitatum cultum externum sacrum ad securitatem & felicitatem publicam accommodandi §. 45 2. *Pol.* Nam quia in superioribus evictum est, unamquamque ecclesiam ex sua utilitate festos dies deter-

mina-



minare posse, ille vero, qui majestatem in ecclesiasticis habet, dicatur Episcopus, patet Episcopos jus habere determinandi festos dies: hoc autem non solum procedit apud Pontificios, sed etiam apud Protestantos Scio quidem Ictos, qui saniores videri volunt, rejicere illud dogma, quod Principes Protestantos exerceant jus circa sacra ut Episcopi: sed hæc est mera logomachia; ego illum qui jus circa sacra exercet cacodæmonem dicereim, si usus loquendi id ferret, & sane nimis jejunum foret argumentum Pontificiorum Episcoporum, si exinde ita velint ratiocinari: quia Principes Protestantos dicuntur Episcopi; ergo nobis illud jus injuste ademptum est: quia Principes protestantes, induunt personam Episcopi, quando jus circa sacra exercent, ergo consistoria ex clericis sunt adornanda; quale argumentum nectit *Weberus* Halensium Theologorum collega non degener in *tract. de Jure Consistorii*, hæc & similia ratiocinia vel potius deliria ut extimescamus opus non est, ut quidem fecere plurimi melioris notæ Icti. Hi autem Episcopi sunt apud Protestantos seculares Principes, ut fere ex toto *art. V. Instrum. P.* constat, ubi hæc regula cuius est regio illius etiam est religio, est confirmata; hæc vero regula nihil aliud significat, quam quod ille, qui illimitatam habet potestatem res ad cultum divinum non spectantes ad felicitatem & securitatem publicam accommodandi, illi eadem potestas competat in rebus ad eum spectantibus, si scilicet de protestantium territoriis agitur.

§. 12.

Nunc porro in gratiam illorum, quos cognitio morum gentium juvat, ostendere placet, nil alieni ab illis introduxisse Instrumentum Pacis, & primum quoad judæos facile

*Quis serias  
instigandi  
ius habu-  
erit apud  
Judæos.*

quis apud  
Romanos  
sub Regi-  
bus.

facile ostendi potest, jus condendi ferias & festos dies illorum regibus non denegari posse. Et licet sub judaica reipublica primordiis illa fuerit Theocratica, & ab ipso Deo festorum tempora fuerint determinata, tamen cum postea reges summa rerum potirentur, ipsi quoque jus habuere ferias extraordinarias adornandi, id non obscure arguit locus 1. Reg. 12. v. 32. ubi quidem de festis idolis institutis agitur, nihilo tamen secius ex eo jus quoddam circa institutionem festorum in genere colligi potest. Idem jus regibus Romanorum competiisse, patet ex notabili loco Dion. Halyc. lib. 2. hist. p. m. 123, qui locus cum jus regum circa sacra egregie illustret, lubet illum hic apponere. *Pietatem* (de Numa Pompilio loquitur) *ante omnia docuit homines, quod dii mortalibus omnium honorum auctores sint & conservatores: deinde justitiam, per quam concessis divinitus commodis belle frui liceat. Quorum utrumque, quibus legibus ac institutis fundaverit & auxerit, prolixum opinor esset scribere & parum necessarium, praesertim in Graeca historia; attingam tamen praecipua quaedam capita, unde satis apparebit illius viri propositum, & a divini cultus forma faciam initium. Ergo quicquid legum & consuetudinum a Romulo traditum accepit, immotum reliquit, velut optime ab autore constitutum, quod si quid animadvertit ab illo praetermissum, id de suo addidit, multas aras iis assignans diis, quibus nulli eorum honores tributi essent, multa etiam templa & arcae erigens, attributo cuique numini festo, & institutis qui sacra curarent sacerdotibus, latisque legibus permultis de castimoniis, de ceremoniis, lustrationibus ceteroque cultu & honore Deorum. Idem jus tempore liberae reipublicae fuit apud senatum, quod ex eo patet, quod*

Libera Re-  
publica.

quod a Senatu Dictator ad ferias Latinas adornandas datus sit: expresse *Livius lib. 7. cap. 28. Senatui placuit, dictatorem feriarum constituendarum causa dici. Dicitur Publius Valerius Publicola: magister equitum ei Fabius Ambustus datus est: idem munus postea fuit Praefectorum Urbis, ut patet ex L. 2. §. 33. ff. de orig. J.* Sed & Imperatores seculi IV. idem jus exercuisse leguntur. Constantinus M. sane publica lege Dominicam introduxit, ut patet ex *Euseb. lib. 4. de vita Const. M. cap. 18. ubi dicit: Diem vero precationibus congruum haberi constituit eum qui primus est & caput ceterorum, & qui revera dominicus est & salutaris. & paucis interjectis: Atque ob hanc causam cunctis in imperio Romano degentibus praecipit, ut die dominico, feriantur: utque diem, qui est pridie sabbati similiter honorarent, in memoriam ut videtur earum rerum, quae a communi omnium servatore, illis diebus gestae esse perhibentur.* Idem non solum dominicam introduxit, sed etiam precationum formulas praescripsit vid. idem *Euseb. cit. lib. cap. 19. & 20. ad idem de dominica celebranda praecipit non solum, sed & ad festa martyrum etiam obstrinxit praesides provinciarum: sic enim Euseb. cit. lib. cap. 23; Missa quoque lex est ad praesides Provinciarum, ut diem dominicum etiam ipsi venerarent. Idem etiam festa martyrum jussu Principis observabant & ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequerentur: addi hic etiam potest Sozomenus in hist. Eccl. lib. 1. c. 8. fere in fine ubi idem haec Constantini constitutio satis prolixè refertur. Idem jus circa ferias competiisse Imperatoribus Carolingicis, nemo facile in dubium vocabit, qui novit hos*

*sub Imperatoribus.*

*Quis apud Francos*

E Impe-

Imperatores jus Advocatiæ habuisse, quo simul supremum jus circa sacra in eos collatum fuit; hoc confirmatur ex *Capitularibus Regum Francorum*, ubi expressa exstat constitutio Caroli M. de celebrandis festis, quam ex *Hospiniano* hic adferre placet fol. 25. de fest. *Christi. Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent. Natalis domini, S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, Innocentium, octavæ domini, Epiphaniæ, octavæ Epiphaniæ, purificatio Mariæ, Pascha dies octo, Letania major, ascensus Domini, Pentecoste, St. Joannis Baptistæ, St. Petri & Pauli, St. Martini, St. Andree.* Idem non solum festa determinavit, sed & modum celebrandi illa, ut ibidem refert *Hospinianus*. Idem Juris jam ante Carolum competierat Francorum regibus; ut patet ex *Childerberti capitulari de abolendis reliquiis idololatriæ & de sacrorum dierum festivitatibus caste celebrandis, de anno 554. & præceptione Guntrammii Regis ad Episcopos & judices regni sui de observando die Dominico & aliis: vid. Struv. in Hist.*

tempore & J. Germ. §. 9. Saxonicorum Imperatorum.

Idem jus adhuc habuere reges Saxonica stirpe oriundi, manifestum hanc in rem testimonium adfert *Ditmarus Mersburgensis*, quem *Leibniti*us vir omni laude major *Tom. I. rerum Brunsvicensium* inseruit, ubi *Henrici Sancti* hanc affert constitutionem pag. 380. *In obitu cujusque prænominatorum singuli Episcoporum intriginta dies, ni infirmitas impediat, missam pro defuncto celebrent, & unusquisque priorum similiter faciat: Presbyteri vero forensis tres Missas peragant. Diaconi & ceteri inferioris ordinis, decem psalteria. Rex & regina intra triginta dies mille quingentos denarios pro animæ redemptione erogent, & totidem pauperes pascant, & triginta dena-*

denarios expendant, & rotidem lumina accendant. Dux  
autem Bernhardus, quingentos pauperes pascat, & quin-  
decim solidos expendat. vigiliam Sancti Johannis Baptiste  
& Apostolorum Petri & Pauli sanctique Laurentii & om-  
nium sanctorum in pane & sale & aqua decernimus jeju-  
nare: vigiliam Sancte Mariæ assumptionis, & omnes vigi-  
lias sanctorum Apostolorum, sicut in quadragesima. Qua-  
tuor tempora anni sicut in quadragesima, excepta feria sex-  
ta, ante natales domini, quam in pane, sale & aqua je-  
junandam decernimus. Notabilis etiam est Constitutio Wil-  
helmi III. Saxonum & Thuringorum Ducis, qua cautum  
est, ne sanctitas diei Dominicæ violetur: exhibet illam Schil-  
terus de libert. Eccles. Germ. lib. 6. cap. 7. §. 7. 8.

Quis inter  
Saxones &  
Thuringos

§. 13.

Sed & quæ de principibus in genere asserui §. 11. etiam  
valent de nobilibus immediatis, quibus licet vulgo su-  
perioritas territorialis denegetur, tamen quoad jura circa  
sacra cum Principibus & reliquis Imperii statibus sunt ex-  
æquati art. V. I. P. §. 28. Idem dicendum de dominis ter-  
ritiorum oppigneratorum, & quidem ex hac ratione:  
quia in illos transit omne jus territoriale, eique annexum  
jus circa sacra, ut bene observavit Gundlingius in dissert.  
de jure oppign. territ; habet creditor Dominium utile, &  
directum saltem apud debitorem remanet: & hoc non so-  
lum in praxi Imperii receptum est, sed & expresse in I. P.  
artic. V. confirmatum, ubi debitori nil nisi dominium di-  
rectum tribuitur, quod in creditore utile præsupponit.  
Neque hic valet argumentatio ab oppignorationibus pri-  
vatorum, in quo hallucinatus est Besoldus in Thes. Pract.  
voco Pfandschilling / revera enim non est oppignera-

idem jus  
habent no-  
biles im-  
mediati  
& domini  
territori-  
orum oppi-  
gnatorum.

E 2

tio,

tio, sed potius emptio venditio sub pacto de retroven-  
dendo, ut bene notavit *Thomasius in dissert. de usu pract.*  
*accur. disting. inter empt. cum pacto de retrov. & contract.*  
*pignorat.* Igitur cum dominus jus habeat de re sua ad su-  
am utilitatem disponendi, §. 889. §. 91. *Mor.* patet credi-  
torem jus habere de rebus ad territorium oppigneratum  
spectantibus statuendi, & propterea etiam de tempore ce-  
lebrandorum festorum.

§. 14.

*Jus ferias  
adornandi  
spectat ad  
Regalia &  
jus Dioece-  
sarum.*

Nunc dispiciendum erit an jus ferias instituendi per-  
tineat ad regalia: res facile definiri poterit, supposita defi-  
nitione regalium; quod sint jura, quæ ad solos Principes  
spectant: expresse in *L. 4. C. de fer.* dicitur: *nullo judice*  
*presumi debet, ut auctoritate sua ferias aliquas condat. Nec*  
*enim Imperiales ferias vocari oportet, quas administrator*  
*edixerit: ac per hoc si nomine eximuntur, etiam fructu*  
*carebunt.* Jus autem Canonicum in alia omnia ivit *cap.*  
*fin. h. 1.* enim dicitur, celebranda esse festa, quæ *sin-*  
*guli Episcopi in suis diocessibus cum clero & populo duxe-*  
*rint solemniter veneranda: item can. 1. de consec. dist. 3. dicitur:*  
*quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo*  
*collaudaverint: quoad priorem canonem ego a me impe-*  
*trare neutiquam possum, ut credam, hunc canonem esse*  
*Gregorii IX. vixit ille seculo XIII, quis autem crederet il-*  
*lum jus aliquod circa sacra, quod populus jam dudum a-*  
*miserat, illis restituere voluisse? his sane temporibus ne i-*  
*psis quidem Imperatoribus ullum amplius jus competiit in*  
*facris; cum investitura Episcoporum jam ultra integrum*  
*seculum ipsis ablata esset. Sed neque hunc canonem Gre-*  
*gorio VII, vel VIII. adscribere possum, quia neque ho-*  
*rum*

rum tempore populus ullum amplius jus in sacris habuit, & non est Pontificum mos, jus, quod laicis semel ademerunt, postea illis iterum reddere. Potius illum refero ad seculum IX, vel ad aliud antecedens; Nam usque ad hoc seculum populus in occidente jus aliquod circa sacra retinuit, patet illud ex jure electionis, cujus populus usque ad seculum IX. fuit particeps, *can. 12. Dist. 63*, ubi Stephanus Pontifex expresse dicit: *Sacerdotum quippe est electio & fidelis populi consensus est adhibendus. & can. 13. & 34. Dist. 63*. Non autem longe post omne jus populi circa electionem cessavit, & in nudum jus presentandi mutatum est, ut docuit *Conring. de confirm. Episc. Germ. & tandem plane cessavit, Wilhelmus Zepperus de polit. Eccles. lib. 2. cap. 3. p. 246*. Igitur alii erunt adeundi fontes, ut definiatur, an secundum jus Canonicum jus ferias adornandi ad jus Dioecesanum, quod idem est, quod complexus regalium in secularibus, spectet. Primo igitur ostendendum; Episcopo illud competere & quidem solis, sine concursu Pontificis: supra quidem jam a me demonstratum est, jus illud esse Episcopale, sed ibi de jure Episcopali per Pontificalia reservata non restricto mihi tantum sermo fuit, igitur adhuc ostendendum erit, etiam Episcopos hodiernos Pontificios ferias adornare posse; hoc autem sic ostendo: Episcopus etiam sine autoritate Pontificis ecclesias extruere potest *cap. fin. X. de eccles. & dist. can. 44. C. 16. q. 1. can. 9. de consecr. dist. 1. & idem eas consecrat sine interventu Pontificis cap. 1. de relig. Domib. cap. 2. X. de consecr. can. 1. Dist. 25. §. ad presbyterum*, & hinc cum consecrationis dies quotannis solenniter celebrari debeat *can. 16. de consecr.*

*ist. 1.* Patet Episcopum eo ipso dum ecclesiam ædificat & consecrat non interveniente Pontifice; eum etiam festum diem sine eodem instituire. Idem & ex eo constat, quod jus hoc nunquam ad Pontificis reservata in J. Canon. relatum sit, & proinde Episcopis relictum; quoad Germaniam nostram, illud adhuc magis omni dubio caret. Tantum enim abest, ut reservata Pontificalia in illa sint extensa, ut potius in Concordatis nationis Germanicæ inter Nicolaum V. & Fridericum III. initis sint restricta. Licet autem Episcopi in suis Dioecesibus illud jus habeant, idem tamen jus etiam Pontifex habet in omnibus per totum orbem Christianum Dioecesibus, est enim ille. ordinarius omnium ordinariorum, & Episcopi sunt ipsius quasi valvæ, aut tantum valvasini. Patet illud ex Canonizatione sanctorum; hæc ante seculum XI. ad quosvis Episcopos spectabat, inde vero reservatis Pontificalibus annumerari coepta est, vid. *Edmund. Martene de antiq. Eccles. ritib. tom. III. lib. 3. cap. 8.* & habet effectum ut a Pontifice determinato tempore in omnibus per totum Christianum orbem ecclesiis per festum diem eorum memoria recolatur, ut prolixè ostendit *Hospinianus de orig. fest. Christ. fol. 30. & 31.* conferatur quoque *Butrio ad cap. fin. X. h. t. num. 27.*

§. 15.

*Non spectat  
ad Archi-  
diaconos &  
Archipres-  
byteros.*

Sed nondum ostensum est Jus ferias condendi ad regalia ecclesiastica sive ad jus Dioecesanum spectare, restat adhuc ut probem, illud jus non spectare ad Clericos inferioris ordinis quam est Episcopus, igitur quando evictum est, illud jus non pertinere ad Archidiaconos vel Archipresbyteros, patet, quod etiam non spectet ad Clericos ordinis inferioris



oris quam est Episcopus, cum illi primum ab Episcopo locum teneant. Primum igitur quoad Archidiaconos, notum est, eos primis temporibus nil aliud fuisse quam Vicarios Episcoporum, ut ostendit *Leurenus de vicario Episc. tract. 4.* ut & *Nicolaus Januarius de Jur. & offic. Archidiacon.* Nullum igitur aliud jus illis exercere integrum erat, quam quæ ab Episcopis illis mandabantur. Sed cum postea eorum potestas per Leges Ecclesiasticas determinata sit, facile patet, eos non plus Juris sibi arrogare posse, quam quantum in Legibus ecclesiasticis ipsis concessum est, quia alias frustranea esset determinatio. Hæc autem determinatio facta est in *can. 1. Dist. 25. §. Archidiaconi* & in *toto Tit. Decretalium de officio Archidiaconi.* in his vero locis nil juris circa determinationem festorum illis tribuitur. Neque obstat, quod cit. *can. 1. Dist. 52. §. ab Archidiacono.* dicatur *ipse denunciatur sacerdoti in sacrario jejuniorum dies atque solemnitatum:* Longe enim inter se differunt denunciatio & institutio festorum. Sed & præterea licet *cap. 1. X. de offic. Archidiacon.* dicatur: *ut Archidiaconus post Episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus.* Illud enim non universaliter est intelligendum; sed potius ad illa restringendum est, quæ sequentibus capitulis memorantur. *cap. 4. & 5. eod.* enim eorum potestati Institutio authorizabilis, uti barbare institutio ad officium curatum dicitur, & excommunicatio eximuntur. Patet igitur jus ferias condendi non spectare ad Archidiaconos. Simili ratiocinio ostendi potest, neque Archipresbyteris illud jus competere; & hinc tandem sequetur, posito quod Clericus Minorum, ut ita loqui liceat, gentium non majus jus in sacris habeat, quam Majorum, illud in Diocesi ad solum Episcopo.

piscopum spectare; & hinc pertinebit ad ejus jus Diocesanum sive ad complexum regaliū Ecclesiasticorum, per *Def. §. 12.* datam. Forſan non nemo mirabitur, me in hoc deducendo theoramate tam prolixum fuiſſe, credit rem brevius expediri potuiſſe allegatione hujus vel illius Doctoris, ut apud Ictos interdum fieri ſolet. Sed meus mos non eſt, ut ad autoritatem Doctoris provocem, ubi de puncto juris agitur; Neque enim Doctores ſunt legis lattores; haberemus alias multos inſulſos legiſtatores miſeros bambaliones.

§. 16.

*Competit  
ſtatibus Im-  
perii & ſuis  
territoriis.*

Eviſtum eſt §. 11. Jus ferias condendi, ad illos qui habent in republica Majeſtatem ſpectare. Igitur ſtatus Imperii noſtri hoc jure utique gaudent, præſertim cum ipsis in *Inſtrum. Pacis artic. V.* omne jus in ſacris tribuatur. At vero cum non extendatur Jus circa ſacra extra eorum territoria, facile quoque perſpici poteſt, ad condendas ferias univerſales per Germaniam concurrere debere omnes ſtatus, & hinc in publicis Imperii comitiis erunt condenda: & quidem non ſufficit conſenſus plurium, quia in ſacris nullus ſtatus ab aliis dependet, neque in ſacris ab ipsis ulla datur appellatio, ut prolixè oſtendit *Bodinus Ictus*, qui altius quam vulgo creditur ſapuit in *Diſſert. de illicito a princip. proteſt. provoc. in cauſis eccleſ.* requiritur ut omnes conſentiant. add. *Syveder in J. Publ. Part. ſpecial. Sect. cap. 6. §. 21.*

§. 17.

*Idem jus  
babet Capi-  
tulum ſede  
vacante.*

Aſt quid dicendum erit de capitulo ſede vacante? quaſtio eſt facilis, ſi tantummodo etiam ſit reſponſio. Ego tamen rem quantum fieri poteſt ſolide definiam. Nolo hic

hic pro Junone nubem amplecti, & sequi regulas Docto-  
rum, quas de potestate Capituli tradere solent & quisque  
ex suo genio fingit, uno asserente; Capitulum sede vacan-  
te omnia exercere posse, quæ ipsi in Legibus non sunt in-  
terdicta, alio vero, illud nihil exercere posse, nisi, quæ  
illi expresse in Legibus sunt concessa, illius generis fuit  
*Zalozowskius & Corvinus*, hujus vero *Fermosinus & alii*.  
Igitur si rem consideres videbis capitulo adscribi J. Episco-  
palia, sed restricta & limitata. *J. P. art. V. §. 17.* Expres-  
se potestas ejus limitatur *tot. tit. Decret. ne sede vac. ali-*  
*quid innov.* ubi potestas ejus in innovatione restringi-  
tur, & restrictionis hujus fundamentum est, ne aliquid  
agat in præjudicium futuri Episcopi: igitur quando, as-  
seritur capitulo aliquid non competere, non sufficit osten-  
disse, novi quid introduci, simul etiam probari debet, hoc  
vergere in præjudicium futuri Episcopi: totum enim *cit.*  
*tit.*: si consideres, nullam aliam innovationem inter-  
dictam esse deprehendes, quam quæ præjudicium futuro  
Episcopo afferre potest. At vero cum nullo ne probabi-  
li quidem argumento ostendi possit, institutionem festi  
diei, in illius præjudicium vergere posse, ego non video  
cur potestatem illi in capitulo denegare velimus. Forsan  
non nemo mihi objiciet, me propositionem de potestate  
capituli nimis universaliter concepisse, cum per illam non  
excludantur Jura Ordinis, ut a Canonistis vocantur. Sed  
ego respondeo, jura ordinis non involvere jus supremum  
in sacris, sed tantummodo illa jura, quæ olim a Seniore  
inter sacerdotes exercebantur; & illi non erat licitum in  
sacris aliquid constituendi, sed illa quæ jam constituta e-  
rant certo modo ad actum deducendi: sic exempli gratia

F

Ille



Ille nulli ecclesie Clericum præficere, sed tantummodo jam præfectum ordinare & introducere poterat. Vides igitur L. B. hic ubi de festis instituendis agitur, in censum non venire jura ordinis, neque ex illis jus aliquod circa festa deduci posse. Manet igitur utique mea sententia probabilis, Capitulum sede vacante de festis disponere posse. Verum quidem est dari festa, quæ Capitulum instituere non possit, quales sunt encanæ, illud vero tantummodo fit per accidens, quia scilicet non habet potestatem ecclesiam consecrandi *cap. penult. X. de Consecr. Eccl. vel alt.*

§. 18.

*An consistorii Consensus necessarius.*

Ut vero nihil intactum relinquam, etiam dispiciendum erit an consensus Consistorii ad constitutionem festorum accedere debeat; ego hanc quæstionem non movissem, nisi vidissem *Schilterum & Carpozivium* illam simpliciter affirmasse, facile enim ex superioribus decidi posse credo. Scilicet §. 11. evictum est, Principes apud Protestantes in suis territoriis esse Episcopos. Ergo eadem est quæstio ac si inter Pontificios quæram, an Episcopus sine consensu sui Consistorii circa festa aliquid statuerè possit, sane si illam quæstionem inter Pontificios quis affirmaret, ille valde rideretur. Nam primo si regulas prudentiæ spectes, & quæras num Consistorii consilio uti debeat Princeps ad adornanda & recte constituenda festa. Respondeo distinguendo, an Consistorium ex clericis an ex Laicis consistat, illo casu non: quia Theologus prudentia Politica ad Principi dandum consilium in constituendis festis instructus, esset nostri temporis Phoenix, ex inferius dicendis patebit, ad festa bene adornanda requiri cogniti-

onem

onem Psychologia solidam, quæ in Theologos quam rarissime cadit. Opus est cognitione intimiore Politices, & non sufficit si hæc tantummodo sit mere Empirica, sed & hæc Theologus solet destitui. Non tamen loquor hic de omnibus, sed de plurimis. Si vero Consistorum ex Laicis consistat, qui sunt Principis Consilarii, & scientia a Consiliariis requisita instructi; horum Consilio ut utatur, Princeps est obligatus, ut patet ex notione obligationis §. 8. Mor. tradita. Alia est quæstio an valeat constitutio Principis circa festa, non adhibito Consilio vel consensu consistorii, hanc si quis vellet affirmare eodem ex fundamento ille etiam asserere posset, edictum Principis in secularibus non valere, nisi accedat consensus Magistratus sub alterni, quod mihi valde iniquum videtur.

Sed cum Pontificii studeant magistratui civili omne jus in sacris adimere, novum subnascitur dubium, an in terris Pontificiorum ad constitutionem festorum necessarius sit consensus Magistratus civilis vel Principum. Dissentiunt hic Canonistæ, *Wielnerus* enim in *Instit. l. Canon. ad tit. de fer. num. 6.* Principibus nil aliud juris circa festa concedit, quam ad observationem jam constitutorum <sup>adornandis</sup> *adornandis* <sup>inter Pontificios.</sup> *Espenius* autem in *l. Eccl. Part. II. tit. 17. cap. 1.* etiam Consensum Principis vel Magistratus adhibendum esse censuit. Et quidem recte meo iudicio. Nam *cap. fin. X. h. & can. 1. de consec. Dist. 3.* Requiritur Consensus Populi; & licet, ut §. 14. indicatum est, hæc constitutio non videatur esse Gregorii IX. & forsan non authentica, tamen quia a *Friderico II. & Rudolpho Habsburgico expressis* Constitutionis totum jus *Canon-*



cum confirmatum est, & hunc canonem ab eis confirmatum esse censendum erit. Accedit, quod similis constitutio in Decreto Gratiani, quod Gregorii XIII. correctione vim juris tacite acquisivit. Et igitur, cum populum suum representet quis territorii Princeps, utpote in quem omnem suam contulit potestatem, patet Principibus inter Pontificios non denegari posse jus quodammodo ad constitutionem feriarum concurrenti. Non tamen ita, ut illorum suffragio ad illarum constitutionem opus sit, sed ut audiantur, si docere possint, ita rectius illas adornari posse, vel etiam ut suffragium negativum illis concedatur, ne scilicet propter publica incommoda feriarum numerus nimium crescat. Nam in superioribus jam evici, jus constituendi spectare ad solas Episcopos & pertinere ad jus illorum Dioecesanum. Hinc recte *loco supra cit.* dicit *Esperius. ut nimirum populus aut saltem magistratus vice populi in hac institutione audiat.* Quod de Magistratu hic asserui, etiam valet de Clero Episcopo inferiore, qui eodem ut ille modo ad illarum Constitutionem concurrat, per *cap. fin. X. h. t.*

§. 20.

*Quis in  
Ecclesiis  
unitis.*

At quid dicendum erit de ecclesiis unitis, & quis hoc casu habebit jus ferias adornandi? Responso facilis est modo distinguatur inter unionum species. Harum autem, uti notum est tres dantur: vel enim fit per subjectionem, vel per suppressionem, vel per aequalem conjunctionem. Quoad primam, notum est ecclesiam filiam non amittere Jurisdictionem Ecclesiasticam per *cap. 2. X. de relig. Domib.* & latius illud ostendere *Stevogtius in tr. de union. Eccl. diff. 3. cap. 1. §. 7.* & *Hertius in disert. de Eccles. filiabus*

libus § 9. Igitur Episcopo Ecclesiae filiae manet idem jus circa ferias, quod ipsi ante unionem competiit: propterea neque ecclesia matrix neque filia obligata est ad recipiendos festos dies in altera introductos, & proinde ecclesia Protestantium Pontificiae juncta non obligata est ad observandos festos dies in hac usitatos. Idem valet de unionem aequali, in hac enim omnia Jura salva manent utrique ecclesiae, ita ut tantum uni subsint rectori, & proinde ille, qui ante hujus generis unionem jus habuit de feriis statuendi, idem jus habebit post illam. Sed aliud dicendum est si duae ecclesiae uniantur per suppressionem, quando scilicet non duae ecclesiae, sed tantum una post unionem remanet: tum illi qui ante unionem jus quoddam in sacris habuere jam non amplius retinent, & Principalis ecclesiae ferias adoptare tenetur suppressa, quia scilicet plane inconueniens esset, unum coetum diversas ferias celebrare. Hac omnia facile quis concedit, qui unionum essentialia cognita atque perspecta habet.

§. 21.

An de feriis subditorum Protestantium statuere queat Princeps Catholicus, illisque tempore feriarum Catholicarum vacationem ab operibus jubere, ego jam non disputo, cum hanc spartam jam in se susceperit *Clar. Böhmerus in J. Eccl. ad tit. de feriis §. 9. 10. 11. 12. & 13.*

§. 22.

In superioribus jam quadam de modo celebrandi festa tradita sunt, sed quia ibi quadam omissa, placet illa hic *Modus celebrandi* suppleri, & ostendere quomodo cultus externus divinus *festis* sit ordinandus, ut finis ejus eo rectius obtineatur; qui est, ut memoria divinorum beneficiorum recolatur. Igitur

F 3

quod

quod in genere de solennitatibus ostenditur, illud etiam valet de solennitatibus cultus externi divini. Jam vero ostendam, quod solennitates quae majorem habent similitudinem cum re representanda, praeferenda sint illis, quae habent minorem. Igitur ut res rite intelligatur, notandum est; hanc esse animae nostrae invariabilem legem, quando ex una idea alia producitur, quod tum productam cum illa quae a sensibus externis jamjam excitatur olim simul perceperimus §. 209 Met. Jam sumo, quod si homines plurium simul sibi fuerint conscii, unus hujus ideae partis sibi magis possit esse conscius quam alter, & alter vicissim alterius partis ejusdem ideae, i. e. unus attentionem in hanc ideae partem magis dirigit quam in aliam, & alter majorem in alteram partem, quam in hanc. Secundo sumo ex experientia, ideas quae olim junctae fuere non semper recurrere: accidit enim saepenumero, nos olim quidem rem aliquam in certa lingua nominare potuisse, nunc vero ubi res est obvia, idem non possumus. His praemissis ego jam demonstrabo, quod si olim habueris ideam totalem, & totalis non integra recurat, quod magis deflexeris attentionem in partem quae recurrit, quam in illam quae non recurrit. Dicatur idea partialis quae recurrit A, quae vero non recurrit B. Et sit, si fieri poterit, quod ipsi B majorem junxeris attentionem quam ipsi A. Quoniam attentio est gradus conscientiae (des Bewusst seyn) §. 208. Met. & ratio cur una idea ex alia oriatur, ea est, quod illarum nobis olim simul fuerimus conscii §. 238. & §. 209. Met. hinc quia majus continet minus, major gradus attentionis etiam continebit minorem; Ergo eadem saltem ad est, ratio quod B recurat, quam quod A, sed ex hypothesi



pothesi B non recurrit, ergo ex eadem ratione oriuntur diversa, quod est absurdum §. 189. *Ontol.* Non ab simili modo ostendi potest, quod in ipsum B & A non fueris equaliter attentus, quia alias tam A quam B recurreret contra hypoth. opus ergo est ut minorem in B quam in A defixeris attentionem. Facile etiam patet hujus propositionis conversa, quod scilicet non sufficiat attentionis gradus, qualem A junxisti quando ad reproducendum A præcise requiratur attentionis gradus ille, quem ei junxisti. Jam finge, inter solennitatem quandam & rem repræsentandam parum intercedere similitudinis, & aliquem huic similitudini non sufficientem adhibuisse attentionem; igitur tota idea præterita non reproducetur, per *demonstr.* & hinc hæc solennitas respectu illius sine suo frustrabitur: e contrario finge multum intercedere similitudinis; per se patet non tam facile esse, per solennitatem ideam non reproduci, quia non tam facile olim contingere potuit, quod nulli rei ex pluribus sufficienter ad reproducendam ideam attentus fueris quam uni. Et hinc constat solennitates, quæ multum habent similitudinis, præstare illis, quæ parum habent. Igitur solennitates cultus divini, ita instituenda sunt, ut inter illas & ideam beneficiorum divinorum hominibus collatorum quantum fieri potest maxima intercedat similitudo. Rem, ut eo feliciter intelligatur, exemplo a confectione testamentorum desumpto placet illustrare: hanc si consideras videbis solennitates a Romanis requisitas rationi esse consonas, ideo quod magna inter rem in memoriam revocandam & solennitatem intercesserit similitudo: testatoribus revocandum erat in memoriam, quod testamenta olim in Calatis comitiis fuerint condita,

in

in quibus nemo nisi civis Romanus comparere poterat, igitur etiam in testium numerum nemo recipiebatur, nisi civis Romanus: Populus in calatis comitiis erat divisus in quinque tribus, igitur requerebantur quinque testes, & praeterea duo, quorum unus erat Libripens & familiae emptor, qui representabant tum illum, qui familiam alteri addicebat; tum illum, cui illa addicebatur: ad comitia populus vel per licitorem vel per cornicinem convocabatur, ita etiam testes testamentis solenniter convocari debebant; ita ut illa comitia a convocatione sive calatione ita dicta fuerint, ut habet *Gellius lib. 15. c. 27.* Comitia non interrupta serie habebantur, igitur & testamentorum confessio nullo alio actu interrumpenda erat. Proinde quo majorem in hanc vel illam similitudinem suam attentionem quis direxerat; haec similitudo capax erat, tota calata comitia iterum reproducendi: propterea sollemnitas testamentaria apud Romanos sine suo non facile destituebatur, & sic omnes Romanorum sollemnitates, quae a Ictis ut infantum lusus aliis proponuntur, rationali modo explicari possunt. Vides L. B. Doctrinam de sollemnitatibus & in specie de sollemnitatibus cultus divini dignam esse, quae solide pertractetur: ego certe persuasus sum, si omnes in republica sollemnitates ad hanc normam adornarentur, non contemnendam inde in rempubl. redundaturam utilitatem.

§. 22.

Antequam ad caput tertium pedem promoveo, opus est ut me liberem ab objectione, quae mihi a nonnullis moveri posset; me laborare praedicio auctoritatis; ideo quod sine probatione ea, quae a viro summo Wolfio, Praeceptore ad urnam usque venerando demonstrata sunt, summe-

rim

rim: Illi cui hæc in mentem veniunt respondeo; quod tunc simili ex ratione Mathematici haberent præjudicium auctoritatis pro Euclide: faxit Deus, ut omnes laborent hoc præjudicio, quali genuini Mathematici pro suo Euclide! Hæc illis dicta sunt, qui intra modestia cancellos sese continent. At nuper in manus meas incidit, Aso-  
phia, quam ille Philosophiam dicit, stupidi cujusdam Gnathonis Langiani, qui Viros illustres Leibnitium & Wolf-  
sium de scientis immortaliter meritos, & omnes illos qui veritatem Philosophia illorum perspiciunt, horrendo a-  
thei & imprudenter atheos sectantium nomine traducere non dubitavit. Hæc est injuria, qua non potest excogi-  
tari gravior. Ego hic in nomine omnium qui veritatem Philosophia Wolffiana cognoscunt & admirantur, respon-  
deo; nos omnes hanc injuriam licet maximam alto super-  
cilio despiciere, & inde non magis affici, quam si nos asinus calcitret. Ille tenebrio, si magnum nomen calu-  
mniis sibi acquirere studet, aggrediatur sui similes; & sic mutuum mulus scabet: non vero tales viros, quibus pro restaurata genuina Philosophia immortales sunt persolvenda gratia.

CAP. III.

DE CYCLO PASCHALI ET PASCHATE  
CALENDARIUM EMENDATI.

§. I.

Succedit tandem pars ultima in quam ea, quæ veteribus dicta ἀποδεικτικά sive demonstrabilia conjeci; tractaturus præcipue illa, quæ computum Paschalem tam cy-

*Quomodo veteres Pascha determinaverint.*

G



clice quam Astronomicè institutum spectant; cum a determinatione Paschatis reliquorum mobilium festorum tempora dependeant. Notum est unicuique, post longas de tempore celebrandi Paschatis altercationes Concilium Nicænum constituisse, Pascha celebrandum esse die solis, qui primum Plenilunium post æquinoctium sequitur. In Censum igitur hic veniebat determinatio æquinoctii æstivi, quod, cum tempore hujus concilii in 21. Martii caderet, omnes antiqui crediderunt ab hac die nunquam recessurum, quia annum Julianæum pro correctissimo habebant. Sed & determinandum erat plenilunium Paschale; igitur a Græcis enneadecaeteridem Metonicam sunt mutuati; credentes novendecim annis præterlapsis novilunia & plenilunia non solum ad eosdem anni dies, sed & ad ejusdem diei horas & minuta iterum redire. Determinata igitur per observationes sunt Plenilunia & Novilunia anno 325. quando Concilium Nicænum habitum est, & deprehensa sunt Novilunia incidere in Januarii 23, Febr. 21, Martii 23, Maji 21, Junii 19. &c. Plenilunium igitur Paschale incidit in 8. Aprilis. Sed neutrum ex his suppositis fuit accuratum; nam annus Julianæus verum excedit 11 minutis; neque illud quod de enneadecaeteride sibi promiserant sunt consecuti. Novendecim enim anni Julianei continent dies 6939. horas 18. Syzygiæ vero 253. efficiunt 6939. dies, horas 16, minuta 31, secunda 45, sive horas 16 & dimidiam quam proxime. Igitur syzygia non in easdem diei partes incidit, in quas ante novendecim annos; sed una & dimidia hora initium suum anticipat, & intra 304. annos integrum diem recedit. Si igitur ex Astronomico rigore rem ponderes, deprehendes, periodum  
Diony-

Dionysianam five Victorianam illi rei ad quam inventa est a suo auctore Dionysio Exiguo non satisfacere: nam completitur annos 532, intra quos syzygia a primo suo cardine ultra sesqui dies recedit, & propterea in eundem Julianei anni & septimanæ diem non incidit.

§. 2.

Pergo ad specialialem tractationem Cycli Paschalis De cyclo Paschali & modo inve- five Periodi Victorianæ, non quidem historicam, cum stigandi illius annuum. hi præcipue nominandus *F. Henricus Norisius* speciali dis-  
 feratione, quæ Florentiæ anno 1691, primam lucem vidit, sed Mathematicam, ostensurus quomodo analytice  
 inveniuntur duo numeri, quorum auxilio ex datis annis Cycli solaris & lunaris investigari queat annus illius Peri-  
 odi. Pramittenda mihi tamen sunt quædam lemnata, quæ ad meliorem intellectum postea dicendorum faciunt:  
 & primo demonstrabo non dari numerum 532 minorem  
 cujus tam 28, quam 19 etiam sint partes aliquotæ: sit  $x$   
 totum cujus tam 28 quam 19 sunt partes aliquotæ, erunt  
 tam  $\frac{x}{28}$  quam  $\frac{x}{19}$  numeri integri: erit ergo etiam dif-

ferentia horum numerorum, five  $\frac{x}{19} - \frac{x}{28} = \frac{9x}{532}$

integer numerus: sit hic  $p$  erit  $9x = 532p$  &  $x = \frac{532p}{9}$ : jam quia  $x$  integer est (quia est totum ex 28 & 19

aliquoties sumptis constat) erit etiam  $\frac{532p}{9}$  integer,

qualis etiam est  $p$ , utpote qui differentia supradicta æqua-  
 tur,



tur, & proinde talis numerus etiam est  $\frac{531p}{9}$  ut divisione instituta patet: ergo  $\frac{532p - 531p}{9}$  integer est, & est  $\frac{p}{9}$  quando igitur minimus numerus pro  $p$  ponitur, patet etiam tunc determinari minimum  $x$  (quia  $x = \frac{532p}{9}$ ) minimus vero qui pro  $p$  poni potest est 9, consequenter  $x = 532$ .  
Q. E. D.

§. 3.

Nunc porro ostendendum est, quod si a termino quodam numerare incipias tam cyclum solis quam lunæ, quod tum non detur annus præter primum intra spatium 532 annorum, cuius tam solis quam Lunæ Cyclus sit I. sint enim, si fieri potest, duo anni, quorum tam solis quam Lunæ Cyclus I est, patet anno antecedente finito vel semel vel bis vel quoties libuerit cyclum solis totum absolutum esse, & hinc omnes anni collectim sumpti aliquoties continebunt cyclum solis: eodem modo patet, eosdem hos annos aliquoties continere cyclum lunæ; sed per hypoth. hic numerus est 532 minor: datur ergo numerus minor qui aliquoties continet cyclum solis & Lunæ. Quod est absurdum per §. 2.

§. 4.

Jam etiam demonstrare licet, non dari in Cyclo duos annos quibus iidem sint solis & Lunæ Cycli: si neges, sint duo anni in Cyclo 532 annorum, quibus iidem sint solis & lunæ Cycli ex: gr. 2 & 3, patet si numeratio fiat retrorsum, quod in utroque casu annis æqualiter ab utrisque distantibus pervenias ad annos, quibus utrisque tam Cycli solis

folis quam Luna sunt 1, quod est absurdum. His pramissis jam ostendam, quomodo Analytice possit inveniri annus Periodi Victorianae ex datis Cyclis solis & lunae: dico hoc problema idem esse, ac si inveniendus sit numerus, qui si per 28 dividatur annum cycli solaris, per 19 vero, annum Cycli lunaris relinquat: nam finge me a dato anno numerationis initium facere, & jam praterlapsi fiat e. g. 29 anni; tum si per 28 hic numerus dividatur, relinquitur unitas sive annus cycli solaris primus de novo incipientis, si vero per 19, residuum est 10, scilicet ille est annus decimus cycli lunaris secundi: & quia non dantur in cyclo 512 annorum duo anni, qui eosdem habeant solis & lunae Cyclos; patet problemati proposito satisfieri inventione numeri supradicti: hunc numerum ut inveniam, quaro duos numeros talis conditionis, ut si unus horum per 28 dividatur Cyclum solarem, per 19 vero divisus nihil relinquat: alter e contrario si per 19 dividatur lunarem cyclum, per 28 vero nihil relinquat, & jam datus sit cyclus solaris v. g. 3 lunaris vero 2. & sit primus praeceptorum numerorum 19 y, erit y integer numerus, quoniam praese 19 eum metitur: inde sequetur

$\frac{19y - 3}{28}$  etiam integrum esse, quia per 28 divisus relinquit

3: fit hic = n erit

$$\frac{19y - 3}{28} = n$$

$$19y - 3 = 28n$$

$$19y = 28n + 3$$

G 3

pro-



proinde

$$y = \frac{28n+3}{19} = \text{num. integ.}$$

<sup>19</sup>

Jam quia  $n$  est integer,  $19$  etiam metitur sine residuo  $28n$ , consequenter etiam differentiam numerorum  $28n+3$  &  $19n$ , consequenter  $9n+3$  integer est: fit hic  $= p$

<sup>19</sup>

erit

$$p = 9n + 3$$

<sup>19</sup>

$$19p = 9n + 3$$

$$19p - 3 = n$$

<sup>9</sup>

Sed  $9$  etiam dividit  $18p$ , consequenter differentiam numerorum  $19p-3$  &  $18p$ , &  $p-3$  integer est: jam ut mi-

nimum habeatur  $n$  &  $y$  pro  $p$  ponendus est minimus numerus, qui est  $3$  & sic  $p-3$  erit nihilo aequalis, conse-

$$\text{quenter } n = \frac{19p-3}{9} = \frac{54}{9} = 6 \text{ \& } y = \frac{28n+3}{19} = \frac{168+3}{19} \\ = \frac{171}{19} = 9 \text{ \& } \text{conf. } 19y = 171 \text{ qui est unus ex invenien-}$$

dis. Sit jam alter  $= 28x$  quia est multiplus numeri  $28$  per hypoth. ergo  $x$  integer est, sed talis ex condit. problem. quoque est  $28x-2$  &  $19x$  etiam est integer, proinde

$$\text{\& talis erit differentia } = \frac{19}{19}x - 2 \text{ fit h\ae}c = n$$

erit



$$\begin{array}{r} \text{erit} \\ 9x - 2 = 19n \\ \hline 9x = 19n + 2 \\ \hline x = 19n + 2 \end{array}$$

Sed 9 etiam dividit  $18n$  conseq.  $n + 2$  integer est, & minimus numerus qui pro  $n$  poni potest est 7: &  $x = 19n + 2 = 135 = 15$  &  $28x = 420$  qui est alter, hi ergo numeri si ad dantur habebis 591. Sed quia intra spatium horum annorum totus cyclus jam est absolutus; 532 ab invento numero subtrahendus est, ut habeatur annus cycli novi: subtractione igitur facta habebis 59 annum cycli quaesitum.

§. 5.

Idem problema adhuc universalius sic solvere possum: *Alius modus investigandi cycli Paschalis annum.* quarendo duos numeros, quorum alter si ducatur in Cyclus solaris annum quemcumque, & dividatur per 28, dictum annum, per 19 vero nihil relinquat, alter vero si in datum cycli lunaris annum quemcumque ducatur, & dividatur per 19, dictum annum lunaris cycli, per 28 vero divisus nihil relinquat: jam vero per se patet priorem numerum talem esse debere, qui si dividatur per 28, unitatem, per 19 vero nihil relinquat: alter vero per 19 divisus unitatem, per 28 nihil: haec enim residua unitas si priori casu multiplicetur per numerum quemcumque 28 minorem, posteriori vero per numerum 19 minorem in utroque casu multiplicator est residuus, quando per dictos

nu-



numeros dividitur. Sit numerus primus = 19  $y$ : ergo ex hypoth.  $y$  integer est; sed idem est ex hypoth.  $19y-1$ : dicatur hac quantitas  $z$

$$\begin{array}{r} \text{erit} \\ 19y-1 = 28z \\ \hline 19y = 28z + 1 \\ \hline y = \frac{28z + 1}{19} \end{array}$$

Metitur ergo 19 numerum  $28z + 1$ , sine residuo, sed metitur etiam 19 $z$ , quia  $z$  integer est, ergo etiam  $9z + 1$ : fit hic per 19 divisus =  $p$

$$\begin{array}{r} \text{erit} \\ 9z + 1 = p \\ \hline 19 \\ \hline 9z + 1 = 19p \\ \hline 9z = 19p - 1 \\ \hline z = \frac{19p - 1}{9} \end{array}$$

eadem autem ut antea ratiocinio patet esse  $p-1$  numerum integrum: ponatur ergo  $p = 1$  erit  $z = \frac{19-1}{9} = 2$  &  $y = \frac{57-1}{19} = 3$  &  $19y = 57$  qui est unus ex inveniendis.

Sit alter =  $28x$ , erunt ex hypoth. tam  $x$  quam  $\frac{28x-1}{19}$  integri; sed idem est  $19x$  ergo &  $\frac{9x-1}{19} = m$

$$\begin{array}{r} 9x - 1 = 19m \\ 9x = 19m + 1 \\ \hline x = 19m + 1 \end{array}$$

Sed etiam  $18m$  integer est: consequenter &  $m + 1$ , adeoque minimus numerus qui pro  $m$  poni potest est  $8$ . Ergo  $x = 153 = 17 \times 9$  &  $28x = 476$  qui est alter.

Multiplicandus igitur erit numerus  $57$  per datum cycli solaris,  $476$  vero per datum cycli lunaris annum, ab horum summa  $532$  sive totus cyclus toties abjiciendus est quoties fieri potest, & residuus erit annus Paschalis Cycli: ad meliorem intellectum placet rem exemplo illustrare. Queritur quotus sit annus Cycli Paschalis currens annus  $1730$ : Cum hoc anno numerus aureus sive cyclus lunaris sit  $2$ , solaris vero  $3$ .  $57 \cdot 3 = 171$  &  $476 \cdot 2 = 952$ , horum vero summa  $= 1123$ , & dividendo numerum huncce per  $332$ , relinquitur  $59$ , qui est annus cycli quaesitus: prorsus ut supra.

§. 5.

Videbit ex hisce lector Chronologus, solutiones hasce praesertim ultimam universalitate sua non destitui: eodem enim modo ex datis quibusvis annis cyclorum componentium licet investigare annum cycli compositi, si scilicet non dentur duo anni in cyclo composito, qui habeant eosdem annos cyclorum componentium; quod investigare licet per §. 2. & 3. Omnia quae de Periodo Paschali inventa sunt, eodem modo inveniri possunt de periodo Juliana, ita tamen ut tunc non duo sed tres numeri mei sunt inveniendi, & pro uno qui numerum inveni-

*Solutionibus universalitas asseritur.*

H endum

endum dividit sine residuo, ponendum sit factum ex duobus: ut facile ille perspiciat qui superiora rite intellexit.

§. 6.

*Correctio  
tabula pleniluniorum  
Paschali-  
um.*

Notandum etiam est, quod correctio fastorum a Gregorio XIII. facta non nullam mutationem cyclo Paschali inferat, nam dum quartus secularium annus tantum sit bissextilis, sequitur tot diebus Paschalium pleniluniorum feriem antevertere suum initium, quot anni seculares cyclo Paschali insunt qui non sunt bissextiles: sic e. g. annus 1672. fuit primus Cycli Paschalis, & plenilunium Paschale cecidit in 13. Aprilis, qui erat dies Martis: propterea anno 2204. qui est primus sequentis Cycli, Pascha non iterum cadet in martis diem sed in veneris, quia quatuor anni seculares huic temporis spatio insunt qui non sunt bissextiles; ex his patet an & quomodo quovis seculo corrigi debeat tabula pleniluniorum Paschalium.

§. 7.

*De dissensu  
Paschatis  
Cyclici &  
Astronomi-  
ci.*

Antequam dissertationi colophonem ad dam, restat ut adhuc paucis de dissensu Paschatis cyclice & astronomice computata edifferam: est notandum, duplici de causa hujus modi dissensu oriri posse, primo quando Paschale plenilunium unum ab una, alterum vero ab altera æquinoctii parte cadit: & tum dissensus ad integrum mensem excrecere potest; secundo quando alterutrum plenilunium in diem cadit, qui solis, in quem alterum cadit, antecedit, & tum dissensus est hebdomadalis. Talis dissensus fuit anno 1724 quando Cyclicum plenilunium cadebat in diem 13 Aprilis, qui erat dies solis: astronomicum vero in diei saturni horam quartam & dimidiam quam proxime.

Hoc

Hoc cum per calculum ex tabulis Rudolphinis institutum reperissem, in manus meas incidere ephemerides Manfredianæ, ubi deprehendi idem accidere anno 1734. & 1744. Hinc ego suspicabar quarto quovis decadum anno illum recurrere dissenfum, neque me hæc suspicio adeo fefellit: deprehendi enim, calculo ultra ephemerides Manfredianas instituto, eundem expectandum esse dissenfum anno 1754. tunc enim cyclicum plenilunium cadit in diem solis qui est 7. Aprilis, astronomicum vero, in 6ti Aprilis horam 10. matutinam: ut & anno 1774, quando cyclicum cadit in 27. Martii solis diem, astronomicum in 26ti horam 11. antemeridianam: & tandem, 1784., quando cyclicum continget 6. Aprilis solis die, astronomicum vero 4. ejusdem mensis hora 6ta. Hæc autem omnia a me tantum sunt computata secundum motum medium, statim enim apparebat quamvis vel mediæ anomalix vel temporis correctionem diversitatem hic inducere non posse. Quoad annum 1794, notatu dignum est, medium plenilunium cadere in diem solis; si vero debitæ correctiones adhibeantur, cadere in diei saturni horam nocturnam si fere: nondum tamen definire ausim, an hoc anno similis dissenfus expectandus sit; quia mihi non constat, an in hujusmodi computo feria computandæ sint a vespera ad vesperam, ut quidem in jure canonico *Cap. I. X. de fer:* & in praxi protestantium Ictorum receptum est; an vero a media nocte ad mediam noctem. Exoptandum igitur utique esset, ut adoptarent Pontifici cyclum, qui Rudolphinis tabulis esset accommodatior: in recenti enim adhuc est memoria, quantas turbas differentia Paschatum anno 1724. in camera Imperiali moverit. De novo Cyclo jam cogitavit insignis

Mathematicus *Franciscus Blanchinius*, summi Pontificis magister cubiculi, & novum cyclum proposuit in schediasmate cui titulus: *Solutio problematis paschalis*, quod anno 1703, Romæ primam lucem adspexit; an id quod quæsitum sit consecutus, definire nequeo, cum schediasma illud ad manus meas nondum pervenerit; Det Deus ut sublatis inanibus de tempore celebrandi Paschatis rixis Germania nostra tranquillitate tot sanguine parta tandem perfruatur.

FINIS.

COROLLARIA.

- I. Episcopus etiam ante consecrationem festum diem institere potest.
- II. Non solum ecclesia consecrata, sed & basilica habet jus asyli.
- III. Princeps est obligatus ut rationem legis quam dat subditis manifestet; nisi ratio legis statim pateat.
- IV. Qui in dato casu asserit, jus civile prevalere debere juri canonico, vel hoc illi, ostendere debet, illam legem quam prevalere debere dicit, utilitati rei publicæ magis convenire quam alteram: neque ad praxin unquam recurrere licet.
- V. Qui in voluntate admittit casum purum, tollit omnem Dei humanarum actionum præscientiam.
- VI. Etiam solidissimus non potest aliquid velle sine ratione sufficiente.
- VII. Natura entis nihil aliud est, quam vis activa, quæ omni substantia inest.
- VIII. Non potest formari regula: emptio præferenda est conductiõni, vel conductiõ emptiõni.
- IX. Quicumque ostendit putativum miraculum esse effectum naturalem, Dei sapientiam extollit.
- X. Præter gravitatem corpori unicuique adhuc alia inest tendentiã ad motum, licet corpus quiescat.

Errata B: L. sic corriget

- pag. 2, lin. 8. pro quo, quibus  
 pag. 15, lin. 26, pro Clemangis, Clemangis  
 pag. 23, lin. 11, pro possit possit, lin. 15, pro tempore, tempora  
 pag. 24, lin. 15, pro procederet, procederet; lin. 21, pro & in Romanos, Romanos, & lin. 23, post vocem in hærentibus, Ante  
 pag. 25, lin. 23, post vocem abrogari, deletur  
 pag. 33, lin. 14, post vocem dominico, deletur







Marburg, Diss., 1725-30

ULB Halle  
004 165 535

3



sb.





E. 11, num. 9. 20

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
DE

# FERIIS DIVINIS

1730, 1a

## ET ILLARVM EFFECTIBVS,

QVAM,  
DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA,

SVB AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISSIMI

DN. FR

HASSIÆ LA

AVCTORIS

MAGNIFICI

IN ILLVSTRI A

PRO

SYMOS IN VTROQ

LEGIA DOCT

EXCELLENTIS

PE

EXAM

AD DIEM XI.

SVBMITTI

JACO

FRIS

MAR B

TPIS PHILIPPI C.

